



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De spe Liber II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

EVANGELIUM

LISTARII MARCI MARVLI LIBER
secundus, de spe & alijs virtutibus ac vitijs, quæ vel
spem consequuntur, vel ei aduersantur.

De spe veniæ. Cap. I.

Spes est summi boni deo miserante potiundi
expectatio. Peccauimus domino, legi iussisque
eius non ut oportuit parendo, agamus pœni-
tentiam, & speremus veniam, & miserebitur
nostri deus noster. Pœnitentiam (inqt) agite,
& appropinquabit regnum cœlorum. Sed de
pœnitentia postea suo loco tractabitur, modo autem
quam misericors est dominus, quam facile ijs, quos de-
licti pœnitent, ignoscat, videamus; vt & ipsi nobis remis-
surum delicta confidentius speremus, cum alijs quoq;
multis eum remisisse ex euangelio didicerimus. Remi-
sit Matthæo telonium, Zachæo fraudes, mulieri depre-
hensæ adulterium, latroni rapinas & homicidia, apo-
stolo negationem. Igitur si mercaturæ negotiationique
operam impendis, desine vsuris rem quærere, atq; ha-
ctenus quæsisse dole, sicut fecit Matthæus, quicquid
dolo fraudibus ve interuersum est, restitue, & tantum
vitæ necessarijs contentus esto, sicut fecit Zachæus: ac-
tum demum poteris esse discipulus Christi, cum desie-
ris esse mammonæ seruus. Porro si venereæ voluptatis
obscenitaribus es pollutus, & tua te accusat con-
scientia, ingemisce compunctus, ora vt munderis,
mündata autem conscientia per confessionis pœniten-
tiæque sacramentum, dicet tibi dominus, quod ante
dixit adulteræ: Vbi sunt q te accusabāt? nemo te condē-
nauit nec ego te condēnabo. Vade, & noli amplius pec-
care, p̄terea si forte odio habes fratrem tuum, si rapuisti, si
p̄cussisti, si occidisti, confitere crimē, dic te dignū sup-

Matth. 4.

Luc. 5.

Lucæ .19

Iohan. 8.

plício, sed tamen vt misereatur tui dominus instanter
 Postula. Vis nosse quātum hoc tibi profuturum sit? Ille
 qui sic peccauerat, sic pœnituerat, de cruce ascendit ad
 paradysum, angelorumq; fit socius, qui fuerat latronū.
 Cæterū si etiam oīm maximum scelus commisisti, hoc
 est, si Christo renuntiasti, & vel Iudaica vel Machume
 tana, vel aliqua alia impietate subuersus es, cogita quo
 excideris, quantum mali perpetraueris; & ad mentem
 sanam rediens amaris fidei fletibus, Petri exemplo, la
 ua per fidie sordes; & mereberis rursus fieri membrū
 ecclesie, a cuius corpore auulsus fueras, & iam cū mor
 tuis computatus. Hæc tecum meditare, hæc mente re
 uolue. Nūquā veniam desperabis o peccator, si & isto
 rum quos modo commemorauimus crimina, & domi
 ni erga ipsos benignitatem atq; misericordiam recte
 mensus fueris. Sed fortasse dices, non solum graua &
 horrenda sunt peccata mea, verum etiam plurima, vix
 que vllō calculi numero comprehensibilia. Igitur ne
 multitudo criminum spei tuæ detrimentum faciat, re
 spice mulierem illam, cui quotidiana delicta peccari
 cis cognomentum indiderant. Videns onere tot flagi
 tiorum se infelicitè premi, accessit ad Iesum, lachry
 mis pedes eius lauit, capillis deterfit, vnguento perfu
 dit, & statim mortifero fasce leuatur, dimittunturque
 ei peccata multa, quia dilexit multum. Vtrum hoc de
 Maria Magdalena dictum, an de quadam alia, incertū
 est, & tamen de Maria quoq; septem dæmonia eiecta
 fuisse Marcus testatur, per quæ vitis quibus inquinata
 fuerat, purgatam designat. Et ipsa igitur perpetua dia
 boli serua fuit, sed cum finem iniquitatibus fecisset, me
 ruit fieri discipula Christi. Remissorem autem vt ma
 gnorum ita & multorū peccaminum se esse ostendere
 volens dominus, mulierem duodeuiginti annos incli
 natam erexit, Lazarum post quadridui sepulturam
 iam fœtentem ad vitam reuocauit. Quamuis ergo diu
 te satanas alligatum tenuerit, quamuis longo peccan
 di vsu iam obdurueris, & toto tempore in sceles; tuo
 rum monumento iacens contabueris, exolve tandem

Luc. 23

Luc. 7.

Marc. 16.

Luc. 13
Ioh. 11

Psal. 20.

vincula, rumpe laqueos omnes: & diutinam mortem detestatus, ad illum conuertere qui suscitatur mortuos, & qui sepultos tumulatosque facit reuiuiscere, & excusso de pedibus puluere mundatos exire, qui dimittit aubet peccanti non tantum septies. sed etiam septuagies septies. Semper itaque spera in domino, & ora cum propheta & dic: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: ut & misericordiae magnitudo magnitudinem, & miserationum multitudo multitudinem tollat delictorum. Postremo ita tibi persuadeas velim, nullum esse omnino vitiose genus, nullum numerum, quin vtrunque clementia ignoscat diuina his quos peccasse poenitet, & misericordiam implorare non piget, a peccatis quibus deo offendetur pro viribus abstinendo, quibus placatur iustitiae operibus sese exercendo. Solis impoenitentibus & desperatis non est veniae locus, nequius tamen peccant & desperant, quam qui praesumunt, de vtrorumque nunc vitio, cum de spe veniae satis haecenus dictum sit, breuiter explicemus.

¶ De desperatione. Cap. II.

Luc. 23

QVI praesumunt, quoniam in peccatis perseverando se saluari sperant, dei iustitiae derogant. Qui vero desperant, quia sibi ignosci posse diffidunt, dei misericordiam denegant. Praesumptioe versus est latro a sinistris dominicae crucis pendens, cum dixit, Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Non enim erroris poenitet dubitando de Christo, non criminis, rapinas quas fecerat silentio praetermittendo, & tamen arroganter petit ut saluetur. Sed licet ille de poena, quam tunc patiebatur, liberari postularit, ei tamen illi simillimi sunt, qui corrigi nolunt, & poenam quam in inferno luituri sunt, se liberos fore sperant, deum quidem misericordem esse confitentes, iustum autem negantes. His contrarij sunt qui desperant. Grauitatem enim delictorum suorum considerant, & ma-

gnitudinem diuinæ miserationis non perpendunt. Desperauit Cain, cum fratre interempto diceret, Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Si de dei clementia recte sensisset, profecto etiam id quod non merebatur, ab eo sese impetraturum penitendo sperasset. Nemo quippe veniam accipit, quia ipse meretur, sed quia benignus est ille, qui eam largitur. Desperauit & Iudas domini sui proditor. Peccauit (inquit) tradens sanguinem iustum, restituitque argenteos, quos inique acceperat, Sed nec penitentia illi profuit, nec satisfactio, quia dolore supatus ad laqueum confugit, non ad dei misericordiam. Dolere quidem debuit de peccato, sed non ita ut spem quæ in deo est, de manibus dimitteret. Nos igitur qui deum in multis offendimus, & dolendo de culpa veniam speremus. & sperando veniam de culpa doleamus. Vtrunque necessarium est ei, qui & penas cupit euitare, & beatitudinem consequi sempiternam. De spe autem temere præsumendum dicitur, Spes impiorum peribit. Et de errore desperantium: Si desperaueris (inquit) lapsus in die angustiarum, imminuetur fortitudo tua. Dies angustiarum dies iudicij est. Cuius autem tunc fortitudo imminuta fuerit, hic demonum accusationibus grauatus damnationi succumbet.

Gen. 4.

Matth. 28

Proue. 10.
Proue. 24.

De decem præceptis Cap. III.

Ilius autem spes nunquam fallitur, qui dei præcepta quam potest studiose obseruat, dicente domino in euangelio, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Mandata vocat quæ decalogo continentur. Non habebis deos alienos, deus enim unus est. Qui somniis & sortilegiis & maleficis diuinationibus fidem præstant, deos alienos colunt. Cum enim solius diuinæ sapientiæ sit, futura nosse, hoc quod dei est, alijs tribuere præsumunt, Non facies sculptile, eo videlicet animo, ut adores illud ac pro deo habeas. Non est sceleris huius expertus, qui pecuniam seculique diuitias magis quam æquum bonumque diligit. Apostoli autoritate hoc probamus, qui Colos.

Exo. 20
Primum
præceptum.

sensibus scribens, avaritiam simulacrorum seruitutem
 appellat. Neque tamen per hoc mandatum ars reproba
 ta est sculptorum vel pictorum. Non pingere aut finge
 re simulacra vetantur, sed adorare, ideo sequitur: Non
 adorabis ea neque coles. ego enim sum dominus deus tu
 us. Quod autem nos quoque Christi sanctorumque i
 magines adoremus, non ad ipsas imagines, ne idola
 triæ arguamur, sed ad eos quorum ipsæ imagines ap
 parent adorationem dirigimus. Idcirco autem eiusmodi
 simulacra publice proponi solent, ut quoties conspe
 cta fuerint, ad memoriam res gestas eorum quibus di
 cata sunt, reuocent; & ad imitandum fidelium mentes
 accendant. Non assumes nomen domini dei tui in vanū,
 ne contemnere videare, quod præcipue oportet reuere
 ri. Memento ut diem sabbati sanctifices. Nos vero sab
 bati obseruationem ad diem dominicum transtulimus,
 ne cum iudæis in Christum non credentibus videamur
 sentire, qui cum in sepulchro mortuum sabbato quie
 uisse fatentur quidem, sed postea viuum resurrexisse ne
 gant. Itaque ob resurrectionis reuerentiam, eo quo fa
 cta est die ab operibus vacamus, nec tamen ita supersti
 tiose, ut iudæi sabbato. Nam & mensas paramus, & ca
 lices abluimus, & multa huiusmodi agimus. Etenim ser
 uilia opera quæ vetantur, peccata potissime, quibus de
 us offenditur intelligimus, a quibus certe tunc magis e
 abstinentum, cum diuino cultui opera impenditur. Ne
 que aliam ob rem festo die cessare debent manuum ex
 ercitia, nisi ut quisque cæteris omnibus curis expedi
 tus diuina tantum tractet, templa visitet, precatio nib.
 incumbat, missalibus sacrificiis intersit, prædicationes
 audiat, & totum tempus illud in dei laudem cultumque
 expendat. Cum ergo dominicis feriatisque ab ecclesia i
 stitutis diebus maxime a scelere abstinentum sit, cur
 vos infrenis ac petulans iuuentus tunc præcipue in ga
 neis crapulamini? in choreis lasciuitis? in iocis & ludis
 diffuitis? alcarum tesserarumque lusionibus tempus di
 uino honori dedicatum impie consumitis? In quo qui
 dem lusu nec amissæ pecuniæ damnum sine infamia, nec

Secundum

Tertium.

lucrum sine restitutionis debito, nec vsus est sine peccato, nisi forte periurare, & dolos intendere, & aliena inique concupiscere, & inter se identidem rixari atq; in contumeliam prorumpere fas esse dixerimus, omitto quod interdum nec manibus tēperatur, & vsq; ad vulnera cædesque peruenitur. Quanto ergo leuius crimen ab his diuertere, & alicuius honestæ artis laboribus diem illum conterere, quam per orium ad tam nefanda flagitia conuertit? Profecto minus offenderetis, nullum omnino diem festum agere, quam hūc quem agitis tot vitiorum obscœnitatibus profanare. Cōcessus fuit olim Iudeis repudiij libellus, ne in vxores quæ displicuissent veneno sequerent, sed potius viuas dimitterent. Age iam permittatur & vobis, vt omnes dies profesti sint, nullus festus, vt potius manuum labore occupetur animus quam nihil agendo male agere assuescat. Nullus igitur sit vobis dominicus dies, ne ipsum qui dominicus est, in diabolicum conuertatis, dum eo toto tēpore, quo ab operibus vacui estis, non tam domino quam diabolo seruitis. Itaque nunc quidem ad vos pertinere arbitror hoc quod dicitur. Memento vt diem sabbati sanctifices cum nequaquam sanctificetis eum, sed polluat. Vt autem & ad vos pertineat, redite iam ad mentem & intelligite, ideo festis diebus a secularibus negotijs feriandū præcipi, vt exerceamus in diuinis, & non vt hauriēdis luxurijs voluptatibusq; incumbamus. Et hæc sane præcepta sunt, quæ ad dei duntaxat cultum spectāt, reliqua vero circa charitatem, quam proximis debemus versantur. Honora, inquit, patrem tuū & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam dominus deus tuus dabit tibi. Natura ipsa nos prouocat, gratis parentes nostros colere & amare, quanto magis hoc facere debemus, cum etiam præmium proponatur longæuitatis? Neque si quosdam in primis parentum studiosos parum diu vixisse noueris, de promissione diffidas. Ideo terrenum & temporale bonum interdum cito subducit, vt cæleste & æternū gradu beatitatis celsiore cumuletur. Non occides. Cum neminem tibi lædere liceat

Quartum.

Quintum.

- Exo. 22**
Rom. 12
 multo minus interimere. Ne iudici quidem aliquem ca-
 pitis reum ex odio fas est interficere, sed ex lege. Quam
 obrem non tibi, sed illi, qui exequendis legibus
 praeficitur, dictum est, Maleficos ne patiaris vivere,
 Priuato autem homini ne iniuriam quidem quam acce-
 pit, vlciſci permittitur, dicente domino, Mihi vindi-
 ctam & ego retribuam, Non mœchaberis. Omnis coi-
Sextum. tus hoc mandato prohibetur extra matrimonij copu-
 lam. Si continere non potes, cur sine vxore es? Sin po-
 tes, cur monachū non, pfiteris? Illud ne dāneris, hoc vt
Septimum mercedis plus capias voto suscepto castitatis. Non fur-
 tum facias. Furti actio est in eū, qui contrectat rem alie-
 nā inuito domino. Igitur contra hoc praecipuum per-
Octauum. egit, non solum qui aliquid furto sustulit, sed etiam q-
 per vim rapuit, vel per fraudem elicit, vel casu inuen-
 tum restituere noluit. Non loqueris contra proximum
 tuum falsum testimonium. Cum enim Christus dei fi-
 lius veritas sit, quicquid aduersus veritatem dicitur,
 deum offendit. Non tamen omne mendacium ita gra-
 ue crimen est, sed illud tantum, quod aduersatur chari-
 tati, & cum alicuius detrimento perficitur. Fingere au-
 tem & mentiri quod nemini noceat, leuis est culpa. In-
 terdum ne culpa quidem, sed potius meritum, vt cum
 finguntur parabolæ siue apologi ad praecipua virtutis
 Nemo quippe ignorat ea conficta esse, non vt mendaci-
 um dicatur, sed vt veritas disciplinae salutaris iucun-
 dius exprimat, gratius acceptetur, tenaciusque men-
 ti discantis infideat. Hoc me fecisse nullo modo poenitet
 edito illo quinquaginta parabolarum libello, dum pro-
 desse plurimis cupio, non commento, sed veritate. De
 pernicioso autem mendacii genere scriptum est, Os
 quod mentitur, occidit animam. De hoc vero quod ex-
 culamus ac defendimus, abūde in parte eius libri, quem
 de religiose viuendi institutione inscripsimus, est tra-
 ctatum, vbi sanctorum exemplis probatur, non solum
 fingere quandoque licere, sed etiam esse necessarium,
Nonum. quoties consultum iri volumus, vel nostræ vel alio-
Decimum. rum salutis. Non concupisces domum proximi tui. Non

desiderabis uxorem eius . His postremis dei mandatis aperte discimus , non modo facto dictoque posse delin- qui, verum etiam sola mali concupiscentia. Et si rem a- lienam nefas est concupiscere, multo magis auferre, & si desiderare tantum alterius coniugem non debemus, multo minus cum illa rem habere . Concupiscentia e- nim & desiderium quamuis crimine non careant, faci- lius tamen coercentur, si cupita non perficiuntur, diffi- cilius autem cum in consuetudinem facti venerint. In- satiabiles nempe bestia sunt avaritia & libido, non im- plentur haustu, sed quo magis hauserint plus esuriunt. Hoc quod sequitur, non seruum, non ancillam, non bo- uem, non asinum, neque omnia quae illius sunt, cum illo quod de domo non concupiscenda dicitur iungendum censeo, ne ex decalogo hendecalogum faciamus . Cum ergo in fine his duobus praecipis prauae cupidines va- tandae iubeantur, quaerimus quomodo eas vitabimus, cum interdum etiam inuitis ac repugnantibus nobis se ingerant, animumque non parum sollicitent ac laces- sant ? Sed quam diu refragamur, nihil nocent, nocent autem cum eas dominari permittimus, & cum scelus quod nondum peractum est, volumus, totoque tandem voluntatis affectu eo ferimur, quo illae blandiendo in- ducunt. Concupiscentia itaque mali nihil aliud est, quam firmus in malum consensus, quod quamuis non fiat, factum tamen iri cupimus.

De mandatorum conside- ratione. Ca. IIII

HAec sunt legis mandata in tabulis lapideis digi- to dei descripta, ut cum omnia quae legis sunt didiceris, ista potissime teneas, quae modo ma- gis exquisito magisque mirabili tradita sunt populo fidei. Cur enim ea deus in marmore sculpenda cura- uit, nisi quia aeterna esse voluit ? ac ne quando de me- moria exeant, palliorum fimbriis assui iussit vittas *hincynthinas*, quas quoties aspicerent toties eorum

Num. 10.

Psal. ii 8.

Ibidem

quæ ad comparandas animi virtutes præcepta sunt, recordarentur. Nobis vero quibus non iam litera, sed spiritui viuere conuenit, vitæ istæ in corde non in pal- lijs reponendæ sunt, & nunquam dimittendæ. Quid enim ita ardentè amplecti debemus, vt mandatorum memoriæ quorum obseruatio nos ex corruptibili- bus facit incorruptos, & ex mortalibus immortales, & ex terrenis cælestes, quæ deniq; diabolo nos eri- pit & deo coniungit. Talia considerabat vir sanctissi- mus Daud, cū diceret. Quam dulcia faucibus meis elo- quia tua domine, super mel ori meo. Vis vt & tibi dul- cia sint: noli in verbis diuinis eloquiū ornatum requi- rere, ita composita sunt, vt & docti & indocti quod o- mnibus pariter profuturum erat, intelligerent: sed at- tende qualis quantusq; sit, per quem prolata sunt, per illum vtiq; qui solus & acumen ingenij hominibus p- stat, & ipsum dicendi leporem impartit. Idem enim & fons bonorum omnium est, & largitor, & cuius tam dicta quam facta nulla prorsus in parte argui queant, cum solus in cunctis vt maxime potens, ita summe sa- piens sit. Cogita etiam quanta tibi in his obseruandis quæ præcepta sunt promittantur, certe non argētum, neq; aurum, neq; terrent regni fortunæ subiecta poten- tia, aut gloriæ humanæ fragile bonum: sed illa firma atq; stabilis beatitudo, quæ nihil melius, nihil maius ab homine optari possit. Cum ista animo p- mensus fue- ris, tunc non solum, quam dulcia faucibus meis eloq- tua domine dices, verum etiam cum eodem propheta lætus cantabis, In via testimoniorum tuorum delecta- tus sum, sicut in omnibus diuitijs. Et iterum, Bonum mihi lex oris tui sup milia auri & argenti. Et rursum, Dilexi mandata tua super aurum & topazion. Item eodem psalmo, Lætabor ego super eloquia tua, sicut q- inuenit spolia multa. Quid enim illis pretiosius? qd op- tabilius, quæ sola nos efficere queāt cælo dignos, æter- nitatis compotes, summi boni certos perpetuosq; pos- sessores. Talia si tecum (vt debes) quotidie reputaueris tam tandem cælestium mandatorum amore captus, atq;

ad eorum autorem deum conuersus dices, Ignitum elo-
 quium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.
 Non poteris enim illud non maxime diligere, in quo
 tibi tam grande bonum propositum esse intellexeris.
 Prudentia præterea mirum in modum proficere & sa-
 pientia compleri incipies. Hoc tibi Baruch propheta
 verbis, p̄mittitur, neq; enim fallit ille per cuius os spi-
 ritus sanctus locutus est. Audi (inquit) Israel mandata
 vitæ, auribus percipe vt scias prudentiam. & Iesus Si-
 rach filius, cuius dicta sacris voluminibus inseri meru-
 erunt, Fili (ait) concupiscens sapientiam, conserua iusti-
 tiam, & deus præbebit illam tibi. Ac ne de aliqua alia
 quæ in mandatis continetur, iustitia dictum pu-
 tares, alibi explanat, dicens: In mandatis dei assiduus
 esto, & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ
 dabitur tibi. Hinc est quod in his versatus Dauid, omni-
 bus humanæ scientiæ professorib; se sapientiorē factū
 audet asserere, & domino confidenter loquitur, dicēs:
 Super omnes docentes me intellexi, quia iustitia tua
 meditatio mea est. & super senes intellexi, quia man-
 data tua quæsiui. Abeat igitur cum suis dissertationi-
 bus Plato, & cum argumentis Aristoteles, & cum so-
 phismatum callidis captionibus omnes veteris acade-
 miæ philosophi: vera sapientia est, deum nosse, & tam
 edicta quam interdita eius, tota animi sedulitate ob-
 seruare. Cæterum ne quis obseruandorum difficulta-
 tem ignauitæ suæ fauens insipienter excuset, & impossi-
 bilia esse prædicet, audiat Iohannem apostolum dicen-
 tem: Hęc est charitas dei, vt mādata eius custodiamus,
 & mandata eius graua non sunt. audiat & Moysen in
 Deuteronomio sibi loquentem: Mandatum hoc quod
 ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul
 positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostræ
 valet in cælum ascendere, vt deferat illud ad nos vt au-
 diamus atq; opere compleamus? neq; trans mare posi-
 tum, vt causeris & dicas: Quis e nobis poterit mare
 transfretare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus
 audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est

Baruch. 4

Sap. 1

Sap. 5

Psal. 118

1. Iohani. 5.

Deut. 30

sermo valde, in ore tuo & corde tuo, vt facias illum.
 Quid ergo qd supra nos non est amplecti recusamus?
 & quare quod cordi insitum est, id euellere ac prone
 re conamur? nonne cum hoc agimus, intus quibusdam
 conscientiae stimulis pungimur? quasi qui contra natu
 rae vim nitamur, dum ab his quae iubetur declinamus.
 Perspicuum est igitur quia prauis affectibus superati,
 neq; deo neq; conditionis nostrae rōni obedimus. Quae
 praeterea dementia est, immo quis furor, vitium sequi
 malle, cuius finis poena perennis est, quam virtutem,
 qua beatitudo comparatur aeterna? Beatitudinē autem
 decalogi obseruatoribus promissam quis ambiget,
 cum veritas in euangelio (vt supra retulimus) di
 cat: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata? Idem do
 minus alibi quoq; cum de deo patre loqueretur. Scio,
 inquit, quia mādatum eius vita aeterna est. Si ergo tan
 tae mercedis compotes esse cupimus, dei mandata ne de
 seramus. Quae sicut perfectae vtutes sunt, ita perfectio
 nis numero .i. decade censentur. Haec est itaq; frugum
 decima sanctae in horreum dei inferenda, multo meli
 us quam illa quae de terrae fertibus collecta offerri so
 lent. Haec sunt decem conchae a vero Salomone positae,
 in quibus lauari debet, non pecudum vt olim, sed ani
 marum nostrarum victimae in holocaustum charita
 tis deo consecradae. Haec est cithara illa, illeq; decachor
 dus, ad quem nos hortatur Dauid, dicens: Confitemini
 domino in cithara, & psalterio decem chordae psalli
 te ei. Haec deniq; sunt decem plagae illae, quibus Pharaō
 aduersarius noster percutitur, & nos per eas liberati,
 ad terram vsq; promissionis perducimur, terram lacte
 & melle manantem .i. lucis aeternae candore visionis
 diuinae dulcedine refertam: quae non mortuorum ter
 ra, sed viuentium dicitur: ne quis alibi viuere cupiat,
 quā vbi semper feliciter viuat & mori non possit. Cū
 q; ad tam inestimabile bonū hac sola via peruenitur,
 ad eam ipsam Salomon sapientiae dono insignis te di
 rigit ac stimulat, dicens: Conserua fili pracepta patris
 tui, id est dei: & ne dimittas legem matris tuae .i. eccle

Iohan. 12

Mala. 3

1. Para. 4

Psal. 36

Exod. 3

Prou. 5

hæc; liga ea in corde tuo iugiter, & circūda gutturi tuo,
 vt videlicet neq; cogitatione delinquas, neq; lingua la-
 baris. Cum ambulaueris, inquit, gradientur tecum: &
 cum dormieris, custodiant te ne pecces, & vigilans le-
 quere cum eis. Quæris, cur ita? ne scilicet quamdiu per
 huius vitæ curricula incedis, iustitiæ iter deseras, & vel
 per quietem diaboli ludificationibus captaris: vel cum
 euigilas, de mundo prius quam de deo cogites. In quo
 quidem imitandus est nobis ille, qui ait, *Quomodo dicit
 lex legem tuam domine, tota die meditatio mea est.*
 Igitur quotidie tecum reuolue, quotidie mente rumi-
 na, quæcunq; deo placent vt facias, quæcunq; displicent
 vt deuites. Ac si quādo pigebit cuncta repetere, ad sum-
 mam illam in euangelio a domino factam protinus re-
 curre. Diliges (inquit) dominum deum tuum ex toto
 corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.
 hoc est maximum & primum mandatum. Secundū au-
 tem simile huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum.
 In his duobus mandatis (inquit) vniuersa lex pendet
 & prophetæ. Omnia quippe præcepta tam legis quam
 euangelij, ad hunc ipsum rediguntur finem, vt deus &
 proximus diligatur. Ita tamen proximum dilige, vt
 deum non offendas, ita deum ama, vt nihil magis, ni-
 hil æque amasse arguaris. Et si charitas dei hæc est, si-
 cut Iohānes apostolus testatur, vt mandata eius custo-
 diamus, mendax est profecto, qui se deum diligere di-
 citur, & præcepta eius non seruat. Quæ quo diligen-
 tius adhuc studiosiusq; amplectamur, cum de observa-
 torum præmio satis dictum sit, de transgressoribus quoq;
 pœna aliquid memoremus.

Psal. 118

Mat. 23

i. Iohan. 5

De p̄uaricatorum pœna Ca. V.

SI quis interim alteri infensus maligne cauille-
 tur, sibi in mandatis ne occidat vetari, & non ne
 odio habeat, aut aliquod aliud iniuriæ inferat
 genus, meminisse debet, cuncta quidem quæ in
 altera tabula conscripta sunt, ad illam summam redi-
 gi, qua iubemur ita proximos vt nosmetipsos dili-

Mat. 5.

gere. Quo semel recepto, non solum ab omni offensa erit cessandum, sed etiam bene cuique oprandum, beneque faciendum; & quod nobis indigentibus ab aliis exigemus, id aliorum necessitati præstandum. Si cui tamē quidquam mancum in decalogo imperfectumque videbitur, omnium perfectionem ex euangelio petat: Non veni, inquit saluator, soluere legē, sed adimplere. Quā obrem sicut legis ita & euangelii mandata obseruare nobis necesse est, si saluti nostræ consultum iri volumus. Nam & ipse euangelii autor Christus, quæcunque docendo tradidit nobis, ea se a patre accepisse dixit, hoc quoque habens a patre ut filius sit, patri tamen coæternus & consubstantialis: atque ita fiet, ut illa quæ vel per patrem, vel per filium, vel per spiritum sanctum iubentur, vnius dei iussa esse credamus, vnius maiestatis imperia. Quædam tamen ad tempus obseruanda, ut illa quæ futurorum figuras continebant, quædā semper, ut hæc ipsa de quibus nūc agitur, quæ ad vitæ morumque institutionem spectant, illa vero quæ perfectio nis iunt, id est, ut paupertatem castitatemque colamus, monasticæ vitæ modum normamque sectantes, nostro relicta sunt arbitrio, antequam ea seruandi voto nos obligemus, quod si vouerimus, præstare tenebimur, non minus quam illa quæ iussa sunt. Præuaricator est qui secus fecerit. Sed iam redeat vnde digressa est oratio, & sicut institimus ipsas præuaricatorum pœnas fidelium traditionum scripta percurrendo, solícite scrutemur. Neque hoc sine dolore, immo nec sine metu, ne ipsi quoque cum peccatores simus, in illas incidamus. Legimus enim in Deuteronomio execrationes de monte Hebal, a Leuitis dei iussu prolatas, & inter legēdum contremiscimus. Maledictus, inquiunt, qui facit sculptile, quod est contra primæ tabulæ mandatum. Contra secundæ autem præcepta delinquentibus dicitur, Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem suā. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ. Maledi-

Deute. 27.

Etus qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operi-
 mentum lectuli eius: & qui dormit cum iumento, vel
 cum sorore, vel cum socru, vel cum vxore proximi: &
 & qui percusserit proximum, & qui pro pretio viræ in-
 fidiatur alienæ. Post multa, Maledictus aiunt, qui non
 permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere per-
 ficit. Deinde iterum ad maledicendum acrius insurgen-
 tes, ad transgressoremq; conuersi, dicunt: Maledictus
 eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horre-
 um tuum, & maledictæ reliquæ tuæ, maledictus fru-
 ctus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta bouum
 tuorum, & greges ouium tuarum: maledictus eris in-
 grediens, & maledictus egrediens. Longum foret cun-
 cta referre quæ ibi colliguntur, sed breuiter, nihil pror-
 sus mali, quod in hac vita mortalibus accidere possit,
 præmittitur: vsque adeo graue crimē est, diuinis nol-
 le parere mandatis, & aduersus ea niti propriæ volū-
 tatis libidini blandiendo. Eadem enumerantur in Leui-
 tico, & præcipue fames, pestilentia, gladius: multisq;
 in locis scripturæ id ipsum non siletur: vt quod toties
 repeti audis, euenturum peccatis exigentibus minime
 dubites. Nam in Isaia quoque loquens ipse terræ cæli-
 que conditor ac dominus, ait: Si volueritis & audieri-
 tis me, bona terræ comedetis, q; si nolueritis, & me ad
 iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.
 Multa huiusmodi in Ieremta, multa in Ezechiele, nec
 pauca in reliquis prophetis leguntur, minis terroribus
 que plena: quorum quam certus euentus fuerit, cū plu-
 rimarum vrbium excidia, tum potentissimorum quon-
 dam regum infelicissimi exitus testantur. Primus Israe-
 litarum Saul rex, sicut a Samuele propheta ei prædi-
 ctum fuerat, quia voci domini non obediuit, a Palesti-
 nis magno prælio superatus, cum liberis occupuit, sce-
 ptrum q; regni de domo & familia illius ad alios fuit
 translātū, vt quale scelus sit, dei mandata præterisse, non
 ipse solū, sed etiā filius qui reliquus erat, nepotesq; ei⁹
 sentirent. Vt aut post hūc alioq; q; runda parem fortunā
 silentio transeam, Sedechiæ maiori deploratione di-

Deut. 20

Leuit. 26

1. Reg. 31.

4. Reg. 25. gna clades compellit, si modo plorandi sunt, qui iuste pro scelere puniuntur. Hic capta a Chaldæis Hierosoly-
ma cum fugeret, comprehensus vinculisq; constrictus coram rege vna cum liberis adducitur: hi spectante pa-
tre trucidantur, ille deinde etiam oculis orbatur, quos mallet ante erutos, ne filiorum cædem videret. Vincens postremo & cæcus in Babylonem est ductus, templum ipsum atq; domus vrbis igni cōsumptæ, turres ac mœ-
nia solo æquata, populus captiuus præter eos qui ceci-
derant, Babylonem translatus, quæ fere omnia per Ie-
Ierem. 35. remiam prophetam comminatus fuerat dominus tam regi ipsi, quã populo, eo quod filios Rechab patri ma-
gis obedientes fuisse comperisset, quam illos sibi. Iusiurandum enim violauerant, rebelles facti Chaldæorū regi Nabuchodonosoro, templum dei sui gentilitium rī-
tum secuti polluerant, prophetis vera vaticinantibus illuserant, & cum propterea tot mala se passuros audis-
sent, deprauatos animi mores corrigere neglexerant. Contempta itaq; diuinitas non distulit vindictam, vbi
4. Reg. 17. in flagitio cognouit obduratos, & cum nulla denuntia-
tione futuræ vltionis deterreri possent, vltima calamitate affixit. Antehac ob idem delictum & Samaria ab
Assyrijs debellata, & populus cum rege Osce patriis a-
uulsi sedibus, in Assyriamq; traducti seruiuerunt. Nemo ergo regum, nemo principum vel sibi vel imperii sui
viribus nimio plus confidat. Si quis præuaricator mā-
datorum dei esse perseuerauerit, & nec vno aut altero flagello commonitus ab impietate animum auerterit,
repente videbit misceri omnia quæ ditionis suæ sunt, hos capi, illos cædi, altos desciscere, diutinam liberta-
rem statim seruitute mutari, & opes illas, quas multo-
rum annorum victoriæ aceruauerant, paruo temporis momento hostium prædam fieri. Neq; enim hoc hu-
manæ vires efficiunt, sed iniuriarum suarum vltor de-
us, qui solo nutu & cælum diruere, & terram potēs est dissipare. Secure feliciterq; regnabit, qui ipsum regem
regum & dominum dominantium nouerit colere ac reuereri. Nobis tamen nulla omnino seculi huius ad-

uersa æque timere conuenit, atque illa quæ post præ-
sentis vitæ finem peccatoribus infliguntur. Præsentia
enim mala quamuis teterrima venerint, longiora esse
nequeunt vitæ nostræ breuitate, nullumque infortu-
nium tam immane esse potest, quod non leniat ac miti-
get aduentantis & iam iamque affuturæ mortis expe-
ctatio. At vero illa supplicia, quorum nullus speratur
finis, nulla intermissio, nullum leuamen, quis non ex-
horrescat nisi qui ne his quidem, quæ de inferorū pœ-
nis diuinitus tradita sunt, fidem adhibet, quæ sane in-
credulitas nequaquam a supplicijs hominem liberat,
sed eadem duplicat eorum grauitatem. Leuiores sunt e-
nim, quæ fragilitate naturæ peccamus, quam quæ ani-
mi malitia credere nolendo committimus. Igitur siue
quis credit, siue non credit, si aliter ac omnibus præce-
ptum est, vixerit, salu^s esse non poterit, quia longe est
a peccatoribus salus. Mandati transgressio primos ho-
mines Adam & Euam eiecit de paradiso, angelos de cæ-
lo præcipitauit; & tu eiusdem fortasse delicti reus, illo
ascendere speras? Fallet te spes ista, fallet profectio, nisi
pœnitentiam egeris. Penitenti autem præstabitur mi-
seratio, dicente domino; Penitentiam agite, & appro-
pinquabit vobis regnum cælorum, quod si ad viam iu-
stitiæ, a qua procul aberras, reuerti neglexeris, iam tã-
dem tuæ imbecillitati derelictus, peccata super pecca-
ta cumulabis, ac veluti absq; gubernaculo in mari flu-
tuans nauis, quocunq; concupiscentiæ tuæ te impellet
flatus, eo fereris. Id tibi futurum ille qui nouit omnia
antequam fiant, prædicit in psalmo ita loquens: Non
audiuit populus meus vocem meam, & Israel non at-
tendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eo-
rū, ibunt in adinventionibus suis. Nihil illo homine in-
felicius, a quo diuinæ benignitatis auxilium subtrahi-
tur. Cum enim sic destitutus nihil boni per se agere pos-
sit, & suis affectibus ad malum pronis anhelet, con-
tinuo in omne nefas præceps feratur necesse est.
Idcirco non solum a paradisi expectatione excludi-

Psal. 118.

Mat. 4.

R salm. 80

Luc. 12 tur, verum etiam indies grauius futurum sibi supplicium comparat in inferno. Ille enim seruus (vt in euangelio legitur) qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Ne igitur æterni ignis magis omnibus expauescendo tormento obnoxij simus post præteriti delicti pœnitentiam, ad iustitiæ capessenda opera accingamur, auxilium a domino implorantes, vt ea quæ nos facere iussit, ipso adiuuante faciamus, & quæ fieri vetuit vitemus. Ita Christianæ hereditatis, quæ omnem nostræ æstimationis computationem superat, consortes esse merebimur, cum ipse **Mat. 12** Christus dicat: Quicumq; fecerit volūtatē patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est, quæ si diceret: Is mihi in cælesti regno erit coniunctissimus, atq; arcta in primis cognatione copulatus, q; hic in exequendis dei mādatis mihi proxime effici studuerit, vt sit particeps Christi gloriæ, qui Christi prius extiterit obedientiæ comes. Cæterum quoniam vndiq; insidiæ, vndique laquei nos circumdant, magnopere nobis vigilandum erit, ne in illis incidamus. Non incongrue igitur post mandatorum tractationem de vigilia differemus.

De vigilia. Caput. VI.

Vitæ mortalium tempus quam breuissimum est, ipsi senes parum se vixisse conqueruntur. Sed cū vita vigilia sit, nonne etiam tanto minus viuit aliquis, quanto plus quieti ac somno indulget? Nolo tamen vt extendendæ in longius spatium vitæ gratia, vigiliæ obseruatio te delectet, sed ea duntaxat de causa vt & a vitijs facilius abstineas, & virtutibus proficias magis. Vigilando autem vtrumq; effici posse facile nobis persuadebimus, si noui veterisq; instrumenti fidelia testimonia audire voluerimus. Clamat in euangelio dominus: Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Periculum ergo imminet illis, qui ultra naturæ necessitatem dormiunt, ne carnis diabolice tenta-

tionibus superari delinquant. Nam & si spiritus promptus est ut obediat deo, caro tamen infirma & ad vitium prona, nisi vigilię freno teneatur, facile corruet. Cuius quidem periculi minime ignarus apostolus Petrus, nostrę salutı prospiciens, ait: Sobrię estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiēs circuit, quęrens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Vigilantia primo opus est, ne imparati opprimamur; deinde fide, ut resistamus & vincamus. Quod si sapientius vincere contigerit, etiam virtute proficere continget. Superatis enim nequitię suggestionibus, restat ut ad bonorum operationem conuertamur. Ad hęc autem perficienda non sufficit nostra fragilitas. Nisi enim dominus ædificauerit domum, inuanum laborant qui ædificant eam. Ope igitur indigemus diuina, quę precibus ipetratur, dicente domino, Petite & dabitur vobis. Precationibus vero offerendis nullum tempus magis idoneum esse horis nocturnis, nullum accommodatius esse creditur. Atq; ideo propheta hortatur nos, dicens, In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite dominum. Nox itaq; meditationum mater est, dies actionum, has inter se vices partisse videntur, quando quidem saluator quoq; noster ut huiusce rei nobis documento esset, per diem docuisse in templo, noctu autem in monte Oliueti exiens orasse perhibetur. Noctu ergo surgentes meditando atque orando quęramus cum sanctis mulieribus virtutum aromata ut illis vngamus Iesum. Si cum sanctimonię odore ad se venientes conspexerit, qua pietate est, iucunde gratanterque suscipiet, & in nobis implebitur dictum illud, Beati sunt serui illi, quos cum venerit dominus, inuenierit vigilantes. Pręterea quemadmodum ætas vitę nostrę breuis est, ita & incerta. Plurimos frustratur speratę senectutis expectatio. Denique quis est qui vnum diem, immo vnam horam a mortis periculo alienam possit sibi promittere? Quam multos dum sanę ambulant, dum fabulantur, dum rident, vel casus exterior, vel morbus interior repente deiecit & extinguit.

1. Petr. 5.

Psal. 126.

Psal. 133.

Mar. 13

In eo itaq; nostræ salutis consultitur, quod saluator ait, Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusq; opis, & ianitori præcepit ut vigilet. Vigilare ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Ac ne solis discipulis id præceptum quis diceret, quod vobis dico, inquit, omnibus dico vigilate. Dominus domus huius, id est, corporis humani est Christus, serui sunt quinque sensus, ianitor anima; hæc si bene vigilauerit, sensus ipsi ad bene operandum recte disponentur. Isto autem modo expectatus dominus cum venerit, neque in seruis, neque in ianitore quod condemnet inueniet. Tametsi dominus noster in fine seculorum venturus sit, ut simul omnes iudicet, cuiusque tamen merita in exitu vitæ discutit, & singulorum facta diiudicat. Qualis ergo quisque nunc decesserit, talis etiam in illo ultimo iudicio cum corpore apparebit. Vigilare itaque iubemur, ne mors imparatos occupet. Et quoniam nescimus diem neque horam, semper est vigilandum. Semper autem vigilat, qui semper a malo abhorret: & bonum, ut deo placeat, agere pro viribus non cessat. Fieri quidem nequit, quin partem aliquam temporis quieti cedamus, cum nostræ conditionis imbecillitas, ut cibo, ira somno quoque indigeat. Sed audeo dicere, quod somnus quoque iusti vigilia sit. Nam ubi diurna opera pie religio seque peregit, & ante somnum quæ deo grata sunt cogitavit, etiam post somnum quæ cogitauerat perficere maturat. Ideoque citius expergiscitur & exurgit, ut quanto minus dormierit, tanto plus apud deum meriti bene operando sibi comparet. Igitur non plures horas dormitioni impartit, quam naturæ necessitas postulat, ut totum quod superest, semper in dei laudem, aut orando, aut aliquid aliud agendo expendat. Si quod momentum otio transierit, illud sibi deperisse arbitratur. Porro satis erit, sex horas ad mediam noctem

Item somno dare, a media vero nocte Romano ritu initium diei capere, nisi aliqua corporis imbecillitas longiore sibi quietem exegerit. Iste autem a media nocte ad sacrificia laudis deo offerenda exurgendi mos omnibus monachorum collegiis iam inoleuit, & quod ecclesiae instituto probatum apparet, id sequi, id curare atque amplecti saluberrimum esse sentimus. Sic olim sanctissimi viri praedicaucrunt, sic docuerunt, sic suo exemplo facitandum ostenderunt. Dauid ipse, quem deus pra omnibus Iudaeae regibus dilexit, Memor fui (inquit) de nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuam. Et iterum, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Isaias qui cuncta quae euangelistae narrant, multo antequam euenirent praedixit, ipse amore in deum accensus, ait, Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Ieremias quoque ante sanctificatus quam natus, futuram HIEROSOLYMAE euersionem lugens, & precibus misericordiam implorandam suadens, nullas efficaciores fore credidit, quam quae nocturno tempore factae fuissent. Ideo consurge (inquit) lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum domini. Et in euangelio legimus pastoribus vigiliis noctis agentibus angelo adueniente saluatoris natiuitatem fuisse nunciatam. Cuius memoriam ecclesia quoque a media nocte (tunc enim de virgine editus creditur) celebrare consuevit. Tunc etiam cum in templum puer IESVS est illatus, ANNA PHANVELIS filia redemptorem Israel agnouit sanctarum vigiliarum merito, quia non discedebat de templo, vt euangelista ait, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Paulus apostolus cum SYLA discipulo in carcere positi, media nocte deo laudes decantant, & carceris fundamenta quassantur, ostia referantur, vincula soluuntur, & ipsi non refragante, sed rogante magistratu liberi dimittuntur, in tantum profuit nocte intempesta ad hymnos deo reddendos exurrexisse. Hos emulando tu qui san-

Psal. 118

Isaia. 25.

Thren. 2.

Luca. 2.

Ibidem

Act. 15.

G

pro. 4.

stus es, ama vigilias, vt sanctior sis, & tu qui peccator es, vt citius veniam impetres. Artifices partem noctis suo vendicant labori, vt quo plus operis confecerint, plus lucri consequantur. Quod ergo illis pro adipiscenda pecunia non est iniucundum, sæpe enim cantant dū exercentur, hoc tibi molestum esse poterit pro lucranda cælesti gloria? Nimum delicatus es, ne dicam stultus, si tantum boni tibi parare posse speras tota nocte stertendo. Illis tantum & nocte & die dormire satius esset, de quibus dicitur, Non dormiunt nisi cum male fecerint, qui ideo peruigilant, vt latrocinentur, vt furentur, vt crapulentur, vt libidini luxuriæque satisficiant. Minus enim peccarent, dum dormiunt nihil agendo, quam male agendo dum vigilant. Tales vigiliam tã fugiendã sunt, quam hæ de quibus loquimur, expetendã. His aduersos mortiferã voluptatis illecebras armamur, his diaboli vires frangimus, & indices efficiamur fortiores. In his orando, legendo, meditando, quam suavis est dominus gustamus. Per has mundatur animus, acuitur intellectus, mens ad cælestia contemplanda erigitur, & gaudia illa quæ eloqui nescit, se interdum sensisse miratur. Hæ sunt sanctarum uigiliarum dotes, hæc commoda, quæ si tanta non essent, immo si minora forent quam dicimus, vigilandum tamen nobis esse suaderem, ne somnolentiæ damna subire cogamur. Quæ nunc nosse operæ precium erit, vt mali comparatione bonum ipsum quanti faciendum sit, magis pateat.

De malo somnolentiæ. Ca. VII.

Cuius longior quam natura postulat fuerit somnus, non solum bene agendi tempus perdit, sed etiam ipse ad vitia promptior fit, dū corpori magis quam animo obsequium præstat. Raro videbis eos qui somniculosi sunt, a luxuria libidinibusque abstinere. Cum crapulati fuerint, graui sopore premuntur, quos ronchizantes non facilius excites quam syluestres ursos, aut vitulos marinos. Putas expectati ad orationes procumbant, vel ad decantandos

psalmos instent: ientacula conquirunt, prandia deinde parari iubēt, & cum hesternas perporationes diu dormiendo vix edormierint, iam sese nouis ac recentibus ingurgitant. Ne tunc quidem vigilare putandi sunt cum vigilant. Nam eo quoq; tempore inertī veterno-
soque stupore premi vidētur, oscitant, hiatant, lāguentibus nictant ocellis, seque elatis lacertis ac prolato pectore distentant, & nisi totā noctem dormierint, somnum a se fugisse lamentantur: tunc remedia quibus reuocetur disquirunt, iam papauer, iam lactucæ parantur, iam trillatio circa digitos volasque pedum discurret, seruis ibi pruritus excitātib; ut dominus q̄ vsq; mane soporem suum continuare nequiuit, eo iam non interrupto ad meridiem duret. Atq; istos tam effœminato otio assidue torpentes de improviso mors occupat. Neque enim diu viuere queunt qui multo somno dediti marcent, tumēt vultus lurido colore infecti, putrescentiaq; viscera repente inuadēs valetudo dissolue re festinat. Et quoniam nulla his cura fuit sanctis actionibus inuigilare, quibus nixi in cælum euolarēt, peccatis prægrauati ad inferos descendūt. Quod sibi valde metuens propheta orabat, cum diceret: Respice & exaudi me domine deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Profecto nisi inimicus præualeret, id est, nisi periculum esset dormientibus, ne inimici huius dolis capiantur, sine causa dominus discipulos increpauisset, cum dixit: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? Quare autem illos vigilare vellet, continuo palam fecit dicens: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Huiuscemodi quidem periculi testis est etiā parabola illa, in qua legitur: Cum dormirent homines venit inimicus hō, & superseminauit zizania in medio tritici. & illa altera: Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utiq; & non sineret perfodi domum suam. Inimicus igitur noster & fur diabolus est. Somnolentis & otio vacantibus magis insidiantur, quia minus pro

Matth. 26

Matth. 13

Matth. 14

uidi sunt ad cauendum, facileque ad omnes voluptatū illecebras inclinantur. Qui certe si capti & irretiti fuerint, tunc demum intelligent, quam male dormierint, cum villicationis suæ reddere rationem compellentur. Datum quippe sibi tempus ad penitendū, ac bene agendum, inutiliter immo & nequiter consumpsere. Nihil de futura vita cogitantes, dum præsentem in delicijs corporis dormiendo lasciuiendoque transigunt.

De somnijs. Ca. VIII.

DE istorū numero etiam illos esse dixerim, quos vanæ somniorum suorum imagines quasi futuri diuinæ ita delectant, vt quotidie visa enarrēt & si quando sequatur euentus, vera se vidisse iactitent, veluti digni quibus cælestis prouidentiae mysteria pā dantur, cum magis illis conueniat in prouerbis dictū: *Eccle. 34.* Quasi qui apprehendit vmbra & persequitur ventum sic & qui attendit ad visa mendacia. Neq; tamen imus inficias quandoque per somnium vera nunciari. Nam *Gen. 20.* vt obiter aliquid ea de re dicamus, Iacob duodecim tribuum pater cum obdormisset, vidit cælestem scalam, angelosque ascendentes & descendentes, & a domino audituit, terræ in qua dormiret, se possessorem fore, semenque suum per orbem esse propagandum. Hoc in *Gen. 37.* Genesi legimus, & ibidem de Iosepho eius filio, cuius somnio cognitum est, ipsum patri matriq; ac fratribus honorabilem futurum, manipulorum & stellarum quæ vidit, solis quoque & lunæ argumento. Ab his enim per quietem se adoratū dixerat. Idem Ioseph magistri pincernarum Pharaonis & pistorum præpositi, cum quibus tunc in carcere erat, somnia interpretatus est diuersæ quidem sortis, sed certissimi euentus, ac nihil prorsus ab interpretationis sententia discrepantis. Præterea in Iudicum libro Gedeonis victoria aduersum Madianitas, ante per nocturnam imaginem fuit vulgata quam euenisset, quodam somniantē quod hordeaceus panis castra Madianitarum suo ietu subuertisset. Regum quoque historia testatur Salomoni dormienti ap

*Eccle. 34.**Gen. 20.**Gen. 37.**Gen. 40.**Iudicū. 7.*

paruisse dominum, fuisseque locutum, & sicut petierat, rerum scientiam ac sapientiam contulisse. Somnio fidem fecit euentus. Nam eum sapientissimum inter reges fuisse satis constat, Danielis etiam somnia de ventis pugnans ac bestiis de mari ascendentibus, & alijs quæ leguntur, nisi futuræ veritatis signa extitissent ne scripta quidem in voluminibus diuinis fuissent. Veniamus ad euangelium; Magi ne ad Herodem reuertentur somnio admoniti, capitis periculum euaserunt. Iosephus in somnis accepto responso, cum puero Iesu et matre eius virgine fugit in Aegyptum, vt ipsum IESVM neci subtraheret, qua Herodes ipsum solum quæritans, aduersus infantem multorum infantiam erat scaturus. Ad hæc non pauca in sanctorum vitis relata legimus, quibus credere compellimur, per quietem sæpenumero quæ vera sunt reuelari: cum præsertim ipse dominus (vt in numeris scriptum est) dicat, Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Sunt tamen quædam, quæ per dæmonum illusiones accidunt, vana atque fallacia, veris tamen interdum mixta vt credantur. Dæmonis enim calliditas quo animo falsum aliquid suadet, eodem & verum reuelat; vtique vt nimium credulos, & iam sibi libere confidentes facilius euertat, atque in foueam alicuius mortiferi erroris præcipitet incautos. Prudentia igitur opus est ad deuitandos dolos, quos ille veterator nobis dormientibus per ipsa somniorum phantasmata frueri consuevit. Minimum itaque erit ei credendum, qui perpetuus humani generis aduersarius esse noscitur. Quicquid ille quocunque modo suggesserit, nisi virtute diuina compulsus suggerat, non veritatem, sed laqueos esse certo scias. Tunc etiam magis erit cauendum, cum se ostenderit amicum, & palpare animum blanditijs cœperit. Illa vero insomnia, quæ vel ab aliqua animi passione, vel corporis morbo, vel negotiorum cura, vel diurna verborum vltro citroque habitorem contentione prouenire solent, sem-

Danie. 7.

Matth. 2.

Nume. 11.

per vana futiliaque sunt, & nulla prorsus fide digna. Quod si quid ita ut somnium est euenerit, non somnio credas, sed cuidam præfagæ mentis diuinationi. Fieri enim non potest, quin aliquando ira contingat, ut futurum prædicimus. Porro visa illa, quæ diuinitus immittuntur, quamuis verissima semper sint, non tamen omnibus æque accidunt. Bonis quippe ad consolationem, malis ad terrorem. Bonorum sunt illa quæ præmisimus, malorum autem ista quæ dicemus: Pharaon rex cum dormiret, boues vidit septem crassas, & totidem alias macilentas, eodemque numero triticeas spicas, alias turgentibus aristis plenas, alias effetas, exiles, ac prorsus vanas, & quemadmodum ista differens Ioseph sanctitate notus prædixerat, septennem annonæ copiam, septennis fames est subsequuta. Nabuchodonosori quoque regis dirum ac triste somnium, siue statuam quam vidit, consideres, vario metallo compactam, siue arborem supra modum proceram, atque amplam, utroque enim somnio Daniele interpretante didicit, futuram regni cladem, & suimet qui felicissimus putabatur, extremam miseriam. Pilati etiam vxor in euangelio multa per visum se passam conqueritur propter **CHRISTVM**, & marito ut missum illum faceret, nititur persuadere. Hoc quoque obseruandum, quod iniqui in somniorum suorum quid portendant ignari, a sanctis interpretationem accipiunt, ut Pharaon a Iosepho & Nabuchodonosor a Daniele. Vnde apparet, somnia ista quæ diuino fiunt consilio, & impijs obijci quandoque, sed non nisi electis dei seruis reuelari. Taceant igitur peccatores, ad quos non pertinet iudicium somniorum, aut eos ad quos pertinet interrogent, ne per viam non suam incedentes, præsumptione labantur. Ut autem nobis quoque spiritus sancto largiente interpretandi donetur facultas, minus temporis demus somno ut plus concedamus virtuti. Id si fecerimus, ne tunc quidem cum dormimus, quod terreat somniabimus, sed quod consoletur, quodque euigilantibus quæ gratum sit.

De oratione fructuosa, Cap. IX.

Sanctarum vigiliarum propria est quam deo offerimus oratio. Opportune igitur nunc de illa disseremus. Ad Philippenses scribens Apostolus. Nihil solliciti sitis, inquit, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud deum. In quo mihi quidem videtur docere, ut oremus eum qui potest dare quod petimus, obsecremus autem per ea, quae illi quem oramus, chara esse noverimus, ut facilius ad praestandum id quod poscimus inclinetur, & cum praestiterit, gratias agamus, ne impetrata ingritudinis vitio amittamus. Habes orationis formam, discite qualiter te habere oporteat inter orandum, secessum pete, ne quid oranti impedimento sit. Intra in cubiculum tuum saluator ait, & clauso ostio orare patrem tuum in abscondito. Sed is etiam clauso precatur ostio, qui sensibus a rerum fragilium cura sequens, & mente & corpore in illum dirigitur cui supplicat. Qui sic se habent, etiam cum in conventu multorum oraverint, in abscondito orare putandi sunt. Privatae tamen orationi semper magis apta est solitudo. Nam & dominus noster, ut se nobis imitandum proponeret, dimissa turba (sicut euangelista ait) ascendit in montem solus orare. Hac profecto de causa a suis etiam discipulis quandoque se submovit, ut cum diceret, Sede hic donec vadam illuc & orem. Et sicut Lucas ait, avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis. Locus igitur ab omni strepitu vacuus, si fieri potest, eligatur offerendae deo precatiori, ut purior synceriorque offeratur. Deinde cum cogitaveris quam potens, quam immensus sit, quem allocuturus es, quam ediverso tu vilis atque abiectus, humiliter quantum potes accede, suspirans, in gemiscens, lachrymas etiam si potes fundes, illumque imitare publicanum, qui stans a longe, vultu in terram deiecto, pectus percutiebat suum. Peccatorum quippe conscius non est ausus propius accedere, non oculos in caelum subleuare, & ut a se poenam extingeret, a pectoris verberatione non cessavit. Verge ne quae vel dignitate perditus, vel a deo iam gratiam consecutus, minus se submittat, ad scri-

Phil. 4.

Matth. 6.

Matth. 14.

Matth. 26.

Luc. 22.

Luc. 18.

3. Reg. 8.
Daniel. 9. pturarum testimonia animum applicet, & videbit Salomonem regē in dedicatione templi fixis in terra genibus & manibus ad cælum expansis, deprecantem. Audiēt Danielem prophetam dicentem, Posui faciem meam ad dominum deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere. Inde transiens ad euangelium, considerabit vas electionis Paulum apostolum, qui ait, Curuo genua mea ad patrem dñi nostri Iesu Christi. Ipsum quoq; Christum dominum contemplabitur quo nemo sanctior, nemo magnificentior, modo pro nocopore in faciem procumbentem, modo erecto in cælum suspicientem, & modo positus genibus orātem, nō quod illi nostris humiliationibus opus esset, sed quod nos illius indigeremus exemplo. Porro quoties peccatis, quæ a nobis commissa sunt, ignosci petimus, ante illis a quibus iniuriam accepimus, ignoscamus. Ipsius enim domini præceptum est, Cum stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vstra. Et Apostolus. Volo inquit viros orare in omni loco, leuātes puras manus sine ira & disceptatione. Quomodo enim tibi placatū iri deum speras. nisi prius ipse placatus fueris proximo tuo? Tu deum quem semper summe reuereri debebas, offendisti; alius te, qui homo es, non deus; creatura, non creator; peccator, non iustus; & licet ille qui lædit, lædere non debuerit, tu tamen lædi merebare. quid enim mali non meretur is qui deo peccat? & si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Nunc considera quam iuste poscas tibi ignosci, qui deo deliqueris, cum tu homini non vis ignoscere, qui deliquit tibi. Post remissam autem omnem iniuriam, accede ad offerendas preces, non frigide sed ardentem; non remisse, sed perseueranter. Attende quid Ieremias propheta monendo dicat; Leuemus (inquit) corda nostra cum manibus ad dominum in cælos. Quod & apostolus docet dicens, Orabo
- Ephē. 3.
Mar. 11.
Timot. 2.
1. Iohā. 1.
Thre. 3.
1. Cor. 14

spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & me-
 te. vt videlicet & lingua sermonē resonet, & mens cir-
 ca ea quæ dicuntur, intenta sit. Parum diligens est pre-
 cator, qui alio verba, alio cogitationes dirigit, & cum
 corpore in ecclesia sit, animo vagatur foras per vrbis
 loca, vel secessus ruris. Quando hic cum Apostolo dice-
 re poterit, Conuersatio nostra in cælis est, si ne ibi qu-
 dem vbi est, se esse noscit? Nec semel orasse sufficit. in-
 frandum est vt impetres quod postulas. Eædem preces
 frequenter replicandæ, & in his quæ ad animæ salutē
 pertinent, vsq; ad finem est perseuerandum, dicente I-
 pso qui saluat, Petite & dabitur vob, quærite & inueni-
 etis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit
 accipit, & q quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Cha-
 nanæa mulier cum domino supplicasset, repulsa non re-
 cessit, contempta magis se submisit, & quoniam humi-
 liter orando perseuerauit, quod poposcerat, accipere
 meruit. Hanc rogandi assiduitatem commendat etiam
 parabola illa de muliere vidua, quæ durum & fastidio-
 sum iudicē petendi improbitate, vt ipam de aduersarij
 iniuria vindicaret, compulit. & illa alia parabola de ho-
 mine q nocte intempesta pulsando amici ianuā, & cla-
 mitado dormientē excitauit, excitatū surgere coegit,
 & panes quotq; volebat sibi commodare. Dominus p-
 terca cū futuri iudicij terrores pdicendo explicuisset,
 adiecit, Vigilate itaq; omni tempore orātes, vt digni ha-
 beamini fugere ista omnia, & stare ante filiū hominis
 Deniq; qd verbis docuit, opere cōfirmavit. ter em eadē
 preces repetisse dicitur, & factus in agonia orasse proli-
 xius, multumq; sudasse dum oraret, vt discas, etiam cū
 multum oraueris, non remittere cordis affectū quem
 non solum cum rogamus, quamquam tunc magis, ve-
 rumetiam cum non rogamus nos habere necesse est, vt
 impleatur quod Apostolus ait, Sine intermissione ora-
 te. Post gloriosam domini ascensionem de ipsis eius a-
 postolis traditum est, quod perseuerantes erant in ora-
 tione cum mulieribus & Maria matre Iesu & fratribus
 eius. Et si Apostolis opus erat iugi orationū sacrificio,

Matth. 15

Lucæ 18.

Lucæ 11.

Lucæ 22.

1. Thes. 5.

Actu. 1.

Mar. 11.

Iohã. 14.

Psal. 144.

Lucã. 22.

quis tutum se a tērationum periculo sperabit, nisi semper orauerit? Hoc quoque roganti necessarium, ut nunquam de dei misericordia diffidat, sed semper se impetraturum speret quod petit, si modo illud fuerit sibi, vel ei pro quo petit, profuturum. Omnia (inquit) quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis. Male tamē id credit, qui veritati quæ Christus est, non adhæret, eodem dicente: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Et ut ostenderet quare sic adorandus esset, Spiritus, inquit, est deus & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Hoc spiritu afflatus Dauid, in eandem sententiam prorupit, dicens. Prope est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Frustra igitur hæretici precibus insistant, frustra omnes illi qui Christi religionem veritatis fide non sequuntur, nunquam futuræ salutis quam orant, compotes erunt, nisi crediderint. Ad hæc si precatione poposcerem⁹ rem aliquam, cuius incertus est exitus, id est, quæ impetrata nescimus, utrum comodo an incommodo nobis futura sit, dei voluntati committamus: ut non quod ipsi cupimus præstet, sed quod ille nouit, neque noxium neque inutile fore. quia redemptor quoque noster, cum passionis calicem transferri a se patrem rogasset, ita orationem clausit, ut diceret: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: non quod ipse nesciret crucem, quam subiturus erat, omnium credentium fore salutem, sed quod instruere nos vellet, ut semper voluntati nostræ præferamus dei voluntatem. Unde ab eodem edocti, quotidie orando dicimus: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Cæterum cum eius voluntas sit, ut pie iusteque viuamus, hoc quoque his verbis poscimus, ut leges atque præcepta quæ dedit nobis, per nos impleantur. Frustra enim imbecillitas nostra ad id niteretur, nisi illam gratia iuaret diuina. Et si per se bonum aliquod agere possemus, necesse non esset orare ut possimus. Charitas præterea, quæ omnibus debemus, exigit ut sicut pro nostris ita & p

dis preces offeramus deo, vota q̄ faciamus. Iacobi apo-
stoli sentētia est: Orate pro inuicem vt saluemini. Pau-
lus quoq; apostolus hortatur, dicēs: Obsecro primum
omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes,
gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regi-
bus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt
quietam & tranquillam vitam agamus in omni pieta-
te & castitate. Deniq; dominus noster etiam pro perse-
cutoribus nos orare iussit, & ipsemet pro illis, a quibus
probra, maledicta, verbera, & in crucem actus morti-
feras plagas patiebatur, orauit patrem, ignoscique eis
postulauit. Quanti autem id meriti sit, primus martyr
Stephanus ostendit, qui n̄s a quibus lapidabatur veniā
precaturus, vidit cælos apertos, & Iesum stātem a de-
xtris virtutis dei, ab eodem vtriq; iam iam suscipien-
dus, cuius in diligendis inimicis mansuetudinem fue-
rat imitatus. Quo autem facilius ad assequendam
beatitudinem voti nostri compores simus, expedi-
et quidem eos etiam quos deo charissimos esse constat,
vt pro nobis deprecantur obsecrare, vt quod ipsi non
meremur, illorum qui digni sunt suffragiis obtineam⁹
Ita fecisse gentiles quosdam in euangelio Iohannis le-
gimus. Cupiditate enim affecti videndi Iesum, rogaue-
runt Philippum, Philippus Andream, ambo dominū:
quid secutum sit, euangelista non explicat. Non tamen
dubito, quin ipse dominus per apostolos exoratus hoc
concesserit, quod fortasse n̄s tacentibus vel non conce-
sisset, vel concedere distulisset. Sanctos ergo in auxili-
um nobis inuocemus, quia in psalmo est scriptum. O-
culi domini super iustos, & aures eius in preces eorū.
Et Iacobus apostolus: Multum valet (inquit) depreca-
tio iusti assidua. Plus potuit vnus Moyse oratio, quam
multorum arma. Illo namq; orante victæ sunt inimico-
rum copiæ, quo tacente superabant. Ad Eliæ prophe-
tæ preces cælum dedit pluuiam & terra fructum, cum
trium annorum & sex mensium siccitate cuncta in a-
gris exaruisent. Idem viduæ Sareptanæ inopiam fari-
næ oleiq; copia exuberare fecit, filioq; eius mortuo, 4. Reg. 4

Iaco. 2

1. Timo. 2.

Act. 7.

Ioh. 12.

psal. 33

Iaco. 5.

Exod. 17

3. Reg. 17.

4. Reg. 4

H

- Ibidem. cum orasset, vitam instauravit. Eliseus quoque deum precatus viginti hordeaceis panibus centum virorum famem saturavit, ita ut etiam reliquæ superfuerint.
4. Reg. 5. Deinde Sunamitidi hospitiæ diu sterili prolem a domo exoravit, & qui natus fuerat, puerum vita defunctum reuiuiscere fecit, postremo Naamã Syrum lepræ morbo laborantem sanitati restituit, nec terrenis corporibus modo, verum etiam cælestibus iusti atq; fidelis hominis præualet oratio. Iosue Israelitici exercitus dux oblatis deo precibus solem & lunam stare compulit, donec inimicos ad fugam conuersos persecutus internicione deleret. Pro Ezechia rege supplicante angelus e cælo delapsus pugnavit, & Assyrios qui ipsum obfederant, concidit: centum octoginta quinque milia virorum vna nocte fuere desiderata. Nullus vnquam exercitus tam feliciter armis confluxit, quam eo tempore sua solus Ezechias oratione. Sed etiam quando graui morbo affectus se moriturum audisset, longiora vitæ spatia oranti quindecim anni additi sunt. Longū esset referre veteris nouæq; scripturæ miracula, percurrendo quanta vis atque virtus precum sanctarum sit, quot mortuos ipsi etiam Christi discipuli suscitauerint, quot cæcis visum, quot claudis gressum, quot incurabili ægritudine oppressis pristinam restituerint sanitatem.
- Mat. 21
Iohan. 14
Iohan. 17
- Audi insuper quid ipsa veritas dicat: Omnia (inquit)abilia sunt credenti, & omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes accipietis. Et alibi: Quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Et iterum: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quid ais Iudæ? quid tu Mahumetane? quid vos oēs qui in Christum non creditis? nonne incassum cæleste bonum speratis, quia illud in nomine Christi non petitis? Non enim potestis in eius nomine petere, quem non recipitis fide, quem dei filium esse negatis. Suis autem fidelibus ille ait: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis. Manemus in Christo cum credimus, manent in nobis verba Christi, cum ea operibus comprobamus.
- Iohan. 15.

Hoc si præstabimus, nubes cælosq; penetrabit oratio, & illi beati spiritus, qui Tobix preces offerebant domino, etiam nostras offerre curabunt. Et sicut in apocalypsi scriptum est: Fumus incensorum de orationibus sanctorum ascendit coram deo de manu angeli, ita & nostræ orationes ascendent. Neq; vlli dubium esse potest, quin ille cuncta quæ petierit, a domino impetraturus sit, cuius internuntij spiritus ipsi angelici esse non dedignantur. Neq; enim hoc ideo permittit omnium præsciis, & semper vbiq; præsens deus, q; indigeat vt hominum opera orationesque ad se perferantur; sed vt per angelorum officium suam erga pios promptosque peccatores benevolentiam testetur. Amare se plurimum eos ostendit, quos talibus vt concedit ministris. Quibus certe si digni fuerimus, hoc est, si quæadmodum oportet, orauerimus, præterita peccata condonabuntur, præsentia repellentur, futura facile vitari poterunt, ipsa animi virtus roborabitur, caro obediet spiritui, & superatis diaboli tentamentis, bonorum operum fructus cumulabitur. Reliquum erit, vt re bene gesta hinc decedentes a domino coronemur. Sed iam de illis quoq; pauca dicamus, quorum preces vel nullius vel minimi momenti sunt, vt simul discamus, nos eorum dissimillimos esse oportere, si diuinum nobis fauorem precum laudumq; cultu cupimus conciliare.

Tob. 12

Apoc. 8

¶ De oratione infructuosa.

Cap. X.

NE supplicationibus nostris propitietur de peccata obstant. In Ieremia scriptum est: Opposui isti nubem, ne transfret oratio. Vnde idem propheta sub persona plebis peccatricis coram deo queritur & ait, Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es. Nisi enim omnium prorsus delictorum quæ commisimus, nos pœnituerit, & de omnibus pariter dolore mœroreque satisfacere stuerimus, frustra pœcumbimus ad orandum. Nimiū im

Thre. 3
Ibidem.

- pudens est, qui vel vna in re offendere non cessat, & ab eo quem offendit, orat gratiam. Quid supplicando atque obsecrando placare deum tibi iratum speras, & a luxuria non discedis, & fornicari non desinis? vel aliud quod legi diuinæ aduersatur, agere non omittris? De istiusmodi supplicatoribus lamentatur in euāgelio saluator noster, dicens. Quid vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Quod si forte contigerit, vt per inuocationem diuini nominis miraculum aliquod efficias, noli propterea credere deum tibi reconciliatum, si in delicto perseveras, non tuo merito id conceditur, sed necessitati aliorum. Multi (inquit) dicent mihi in illa die, domine domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Tunc te nosse incipiet, cum ab eo scelere, in quo nunc obstinatus perduras, abstinere decreueris, tunc & gratiam conferet vt abstineas, & cum pro tua oraueris salute, voti compos vt efficiare præstabit. Intantum autem obstinatorum non acceptationem, vt etiam pro eis orare vetet, præsertim si incorrecti impœnitentesque decesserint, quod Iohannes apostolus in epistola testatur dicens. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Ipse quoque dominus Iudæorum pertinaciæ iratus, ad Ieremiam prophetam loquens ait: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & orationem & non obstitas mihi, quia non exaudiam te. Timeant itaque horum verborum sententiam qui in peccato persistere non timent. Quod si in scelere perseveraturum aliquem constaret, nemo fidelis pro salute illius orare auderet, nisi sibi licere arroganter crederet quod non licuit prophetæ. Nos vero ideo etiam pro obstinatissimis rogamus, quia nesci futurorum speramus ad penitentiam redituros. Certum est tamen cassas vanasque esse pces, per quas alijs id postulat quod non merentur accipere. Illorum etiã inefficax & inutilis erit deprecatio, quæ lingua
- Luc. 6.**
Mat. 7.
1. Ioh. 5.
Iere -7.

quidem mansuetudinem atq; humilitatem præferunt dum deo supplicant, & in corde aduersus proximum odij facibus ardent. A deo diligere volunt, & homini ad imaginem dei facto, Christi sanguine redempto, inferri sunt. Audi quid præcipiat dominus: Si offers (inquit) munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum. Quamobrem nisi remiseris omnem offensam, nisi reconciliatus fueris, nisi eum etiam qui aduersum te indignatur, quantum potes, placaueris, curam non solum tuam, sed etiam alienam salutis gerens, non poteris munus orationis offerre domino. Non enim exaudiet te, nisi charitatem, quam omnibus debes, viderit in te. Illius quoque reprobam in primis habetur oratio, qui quicquid petierit, non eo tendit, ut deo placeat. Nam siue pro corporis valetudine, siue pro rebus vite necessarijs, aut pro quavis alia re orabimus, semper ea fine orandum erit, ut commodius ei, qui bona omnia tribuit seruiatur. Sed auari ideo orant, ut terrena bona lucrentur, ideo gloriæ cupidi ut ab hominibus laudentur. Quare ad primos certe pertinet quod in euangelio dicitur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Non enim solum pro auaritiæ crimine punientur, sed & pro sanctimoniæ simulatione. Secundos imitari dominus prohibet, dicens: Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non ergo recepturi sunt dei gloriam, quam orando expetunt, cum iam receperint gloriam hominum, quam concupierant. Utuntur & hi quidem dominica oratione, sanctorum psalmis, precibusque ab ecclesia constitutis, dominus tamen non attendit verba, sed animum intentionemque orantis, & magis irritatur quam placatur, cum id quod bonum est, proposito usurpatur non

Mat. 5.

Mat. 23.

Mat. 6.

bono. Tale quippe facinus & Ieremias deuouet, dicens:
 Maledictus qui facit opus domini fraudulenter. Cum
 Ierem. 48 ergo hic q̄q̄ fraudulenter agat, qui orandi studium ad
 laudem dei institutum, ad suam uertere nititur, erit vti
 que maledictus: & dum vulgi plausum captat, videri
 non esse sanctus cupiens, nisi penitentiam egerit, non
 Psal. 52. effugiet penam, dicente propheta: Deus dissipauit ossa
 eorum qui hominibus placent. Præterea neq̄ eor̄ ad
 impetrandam gratiam proficit supplicatio: q̄ quis bñ-
 fecerint, iactanter tamen facta sua prædicant, cum te-
 ste conscientia contenti esse deberent, & quicquid lau-
 dabiliter egissent, non sibi sed deo tribuere. Talis fuit
 Luc. 18 phariseus ille, q̄ ingressus templum vt oraret, depri-
 mēre aliorum mores cepit, suos vero insolenter effere-
 re. Deus gratias tibi ago (inquit) quia non sum sicut cæ-
 teri homines raptores, iniusti, adulteri, velut etiā hic
 publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omniū
 quæ possideo. Si ista quæ faciebat, ad dei laudem non
 ad suam dixisset, nec se cæteris prætulisset, non peccas-
 set, sed & se gloriari voluit, & alios petulanter incesse-
 re, & præcipue publicanum tunc eodem loco, sed mul-
 to submissius orantem. Ideo peccatoris humilitas me-
 ruit veniam, iusti superbia damnationem, domino de
 utroq̄ sententiam ferente, cum diceret: Amen dico vo-
 bis, descendit hic iustificatus in domum suam præ illo
 Quod si tm̄ potest humilitas adhibita pctō, quāto plus
 poterit innocentia probeq̄ factis copulata? Sunt q̄ ni-
 mis negligenter orant, summis labijs verba murmu-
 rant, nec satis qd dicant, attendunt, non dissimiles illis
 q̄ p̄ getem somniantes loquuntur, quos per Isaiam ar-
 guens dñs ait: Hic populus labijs me honorat, cor aut̄
 Isa. 29. eor̄ longe est a me. Tales certe si exaudiret, non repre-
 Mat. 15 henderet. Et quoniam inter orandum semetipsos non
 intelligunt, faciunt vt nec a deo intelligant. Qualem
 igitur affectum orandi habent, talem & fructū suæ ora-
 tionis referunt. Ex his (vt egdem reor) erat ille, cui in
 apocalypsi deum audimus loquentem: Vtinam frigi-
 dus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigi-

dus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Frigus timoris est, calor ad amorem refertur, tepiditas autem desidia orioque tribuitur. Otiosi igitur & terrena magis quam caelestia curantis deprecatio, quoniam neque satis timet, neque satis amat, tantum abest ut quicquam impetret, ut etiam (si fas est dicere) nauseam ei faciat quem precatur. Cum enim admodum somnuculose roget, illud quod petit, contemnere potius quam desiderare videtur. Nam si magnipenderet quod poscit, enixe in primis ardentemque instaret, diceretque cum propheta: Clamaui in toto corde meo exaudi me domine. Qui sic non clamant, non facile exaudiuntur. Non nulli vero satis cupide orant, sed fide dubia adhuc atque nutanti, veluti ille in euangelio, qui filium secum attulit ad Iesum, ut a vexatione liberaretur, & ait: Si quid potes, adiuua nos miserus nostri. Quam diu suspensio animo fuit, possit ne id sibi a domino praestari, quod rogabat non accepit. Postquam autem firma stabilique fide opus esse ad impetrandum didicit, & se iam vere credere nihilque de domini virtute dubitare respondit, filium pro quo orabat sanum recipit. Hanc dubiae & fidelis postulationis inter se distantiam Iaco. apo. verba satis declarant, ubi ait: Si quis indiget sapientia, postulet a deo, qui dat omnibus affluentem, & non impropert, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans, qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur & circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, qui accipiat aliquid a domino. Ex his igitur quae diximus, perspicuum est, eos qui vel de religione quicquam dubitant, vel in peccato aliquo perdurant pro aeterna salute, quam credentibus ac poenitentibus promissam esse constat, orantes non exaudiri, quibus dicere possis cum Iacobo Apostolo, Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, Quod quidem & ecclesia deo in psalmis loquens confitetur, cum ait, Odientes me disperdidisti. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad dominum, nec exaudiuit eos. Contraria his agamus oportet, si volumus ut petita nobis concedantur, ut videlicet ista per quae poenitentibus

Mar. 9.

Iacobi. 3.
Psal. 17.

tium labor irritus efficitur, vitemus, & illa faciamus quæ nos cum precamur, voti compotes reddunt. Quoties autem id quod orando poscimus, non euenerit, aut dilatum credamus vt apriori detur tempore, aut non fuisse profuturum si datum esset, aut ne daretur peccata nostra obstitisse. Si vero ex sententia successerit petito, gratias deo agamus neq; quicquam nostris meritis, sed totum eius erga nos benignitati deputemus. De orandi ratione satis dictum fit; nunc vt confidentius ad orandum procedamus, de peccatorum pœnitentia, sine qua omnino placere nõ possumus, tractandũ videt.

¶ De peccatorũ pœnitentia Cap. XI.

Matth. 9.

Pœnitentia nos a peccatorum sordibus emũdat, & pristinae restituit puritati. Vnde leprosus in Euangelio Christum suppliciter adorans, & curari cupiens, morbo liberat. Lepra in scripturis peccatum designat. Peccati ergo lepra domino iubente, ab animo pœnitentis fugatur, vt ibi virtutes inserantur, vnde vitia pullulabant. In huiusce rei figura &

Matth. 8.

paralyticus de lecto surgit, & mulier a sanguinis profuuo curatur, & qui mortui erant reuiuiscunt, & alij multi varijs languoribus grauati eleuantur. Nam quemadmodum hi credendo & pœnitendo corporis consecuti sunt salutem, ita animæ fideles a peccatorum ægrotudine per pœnitentiam liberatæ, saluantur. Sic saluatus est

2. Reg. 12.

Dauid, qui de adulteriij homicidijq; crimine, quod commiserat dolens, Peccaui (inquit) domino, & continuo peccatum sibi remissum esse meruit audire. & tunc quidẽ

Psal. 50.

ad altiora se extendens, clamauit, Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectũ innoua in visceribus meis, vt impetrata delictorum venia spiritus sancti donũ in ipso reparetur, per quod vitæ quoq; sanctitate possit proficere. Quod aut sceleri veniam impetret pœnitentia, etiam per Ezechielem prophetam dei v̄bis edocemur. Si impius inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus

Ezech. 18.

pœtis suis quæ opatus est, & custodierit omnia p̄cepta mea, & fecerit iudicium & iustitiã, vita viuet, & non

morietur. omnium iniquitatū eius quas operatus est ,
 nō recordabor. in iustitia sua quā operatus est , viuet.
 Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit domi-
 nus deus, & non vt conuertatur a vñs suis & viuat? Et
 iterum; Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die
 conuersus fuerit ab impietate sua. Pœnitentia igitur ni-
 trum est & herba fullonum, quæ non corpora, sed ani-
 mam nitidam reddit, & resina illa Galaad, quæ nō car-
 nis ægritudini, sed mentis medetur vitijs. Mens autem
 post peccatorum purgationem spiritus sancto fauente il-
 luminatur, virtutūque incenditur amore, ita vt ab ijs q̄
 deo displicent penitus expiata, cogitare incipiat quæ
 sint illa, quibus ille plurimum oblectatur, cupiens eidē
 in omnibus obsequi, in omnibus semper fideliter serui-
 re. Hæc est igitur gratia, quæ pœnitentibus datur, si-
 dusque illud luculentum, quod magos, cum regem mū-
 di natum quærerent, præcessit, sed cum in itinere ad He-
 rodem diuertissent, fulgor viæ salutaris index euanu-
 it: vbi vero discessum est ab Herode, rursus idem lu-
 men apparens, illos vsque ad dñm, quem quærebant, p-
 duxit. Ergo diuinæ gratiæ mentem nostram irradiās
 lux, latet & obscuratur, si ad vitia diuertimus: cum au-
 tem ab his per pœnitentiam recedimus, quamprimum
 exoritur, & intelligentiam mundati cordis illustrat,
 vt ad contemplationem cælestium erigatur, cui prius
 terrena tantum curæ erant. Sic & cæcis visus, & sur-
 dis auditus, & vox mutis tribuitur in euangelio: vt q̄
 in tenebris peccati fuerunt, per pœnitentiam illuminē-
 tur: & qui dei præcepta audire volebant, conuersi etiā
 p̄ficere studeāt: & qui docendi nō ignari, sed otio dedi-
 ti linguam cōpescuerant, iam alios ad capeſſendā vir-
 tutem hortādo atq; instruēdo ora resoluāt. Talibus ab
 Apostolo dicit: Eratis aliquñ tenebræ, nūc aut lux in do-
 mino. Vt filij lucis ambulate. Vñ idem p̄tōrem ad pœ-
 nitentiā sollicitat, dicens: Surge qui dormis & exurge a
 mortuis, & illuminabit te Ch̄sus. Cæterę nisi prorsus
 oīm: quæ turpiter & inique p̄petrauimus, nos pœnitue-
 rit, lux ista in nob̄ locū non habebit. Non potest fulge-

Marci. 8.

Populus
Israel.Roboam.
Achab.Iosophat.
Ioram.
Ioachan.
Ezechias.
Manasses.
Iosias.

re dies quādiu pars aliqua noctis remanet, nec synce-
rum esse frumentum, donec a minutissimis etiam paleo-
lis & cunctis pulueris micis euentilatū non fuerit. De-
nique veluti cæcus ille, qui nondum satis credulus, vi-
su recepto quasi per caliginem cernebat, videbanturq;
eī homines (vt Marcus ait) tanquam arborum effigies
incedentium, deinde plena fide Christum suscipiens,
iterumq; ab ipso contactus, clare videre cœpit omnia.
Ita nunquam perfecte illuminari poterit, cuius non e-
rit ex omni parte penitentia perfecta, de qua perfecti-
one inferius, quantum dominus nostras quoque tene-
bras illustrare dignabitur, dicemus. Interim reliqua pe-
nitentiæ bona cursim prosequamur. Post mentis illu-
minationem penitentia animi robur viresque suppe-
ditat ad insultus dæmonum reprimendos, carnisq; vi-
randa blandimenta. Anima enim sicut peccatorum vin-
culis irretitur, ita penitentia ope operaque soluitur ac
liberatur, expedita intrat in domum fortis ipsa iā for-
rior. & quæ ante a diabolo ligata fuerat, nunc diabolum
ligat, vasque eius diripit, nihil in se relinquens, quod
ille suum esse possit dicere. Quamdiu autem serua pec-
cati fuit, & domus & vas diaboli erat, postquā peccare
desiit, & quod peccauerat penitendo deleuit, facta ē do-
m^o osonis & vas iustitiæ. atq; ita pualuit aduersarij sui
potentiæ suæ penitentiæ virtute. Ad hæc pcurre veteris in-
strumēti historias, & iuenies hebræū populū, ppter pec-
cata hostili potestati frequēter subiectū, ppter peniteu-
tiā liberatū, ppter pētā victos, ppter penitentiā victoria
positos. Hoc iudicium liber continet, hoc Regū gesta te-
stantur. Sic Rhoboā, ne Aegyptij armis dispderetur,
obtinuit, Sic Achab malū quod capiti suo mox incubi-
tū p prophetā didicerat, distulit ad postores. sic Ioso-
phat Ammonitas Idumęosq; vicit & numero & armis
impar, sic Ioram Assyriosq; obsidione & Ioachan eorū-
dem seruitute liberatur. Ob hoc p Ezechia stās ange-
lus domini cōcidit Assyrios. Ob hoc Manasses Babylo-
nio iugo erutus, regno quod amiserat restituitur. Ob
hoc Iosias nō vidit malum, quod vidisset, si delicti eū

Non pœnituisset. Eius pœnitentiæ merito, ne impœnitens quidem populus dei vindictam sensit, quamdiu ille vixit. Quinetiam penitentiæ tanta vis est, vt immutabilis dei mutare posse sententiam videatur. Post dies quadraginta subuertendam Ninuen Ionas a domino iussus prædixerat, & tamen Niniuitis in cilicio, cinere, atq; ieiunijs penitentiam agentibus ignoscitur: & quoniam illi peccandi superbiam in penitendi humilitatem conuerterant, diuinum decretum reuocatur. Nec deum ipsum pudet figulo se comparare, vt in Ieremia legitur, q vas luteum fingens, cum rota corrente forte dissipasset, rursus illud in eandem faciem refecit: & ecce, inquit, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. Repente loquar aduersum gentem & aduersum regnum, vt eradicem & destruiam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locus sum aduersum eam, & ego pœnitentiam agam super malo, quod cogitavi vt facerem ei. & subito loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud. Attendant principes terræ ista, & si qua regni dispendia patiuntur, non fortunæ imputent, quæ nulla est, sed sibi quod deum offenderunt: & si in integrum restitui cupiunt, penitentiam agant, delinquentes corripiant, iustitiam seruent. Deus irasci desinet, si illi quibus nunc irascitur, correcti, sanctius viuere incipiant; alioq penitus delendi, nisi se corrigant. Id testantur duorum regum diuersi exitus Pharaonis & Nabuchodonosor. Alter toties flagellatus duritiâ cordis non dimisit, ideoq; cum toto exercitu qui ipsum sequebatur, fluctibus obrutus perijt. Alter mente alienatus, vrbeq; eiectus, & cum brutis computatus, quia deum contempserat, inter aduersa animo resipiscens deo se submitit: & pœnitentia ductus, veniam ab eo petit, quo miserante calamitatibus liberatus & in regno fuit receptus. Diuina igitur prouidentia cum pœnitentibus clementer ignoscit, cum in vitio perrinaces diu frustra puniens, iuste postremo disperdit: & quos temporali animaduersione ad emendationem vitæ copellere nequit, eos æternis penis afficiendos cõdenat. Sicut autem deprauatæ mentis obstinatio

Niniuitæ.
Iona. 3.

Ierem. 18.

Pharao.
Nabuchodonosor.

Luca. 13.

Apoca. 22.

sua grauitate hominem in abyssum deprimit ac pessundat, ira pœnitentia sua virtute sursum in sublime vsq; ad cœleste regnū euehit, & quo nihil est sublimius, deo coniungit. Hinc est quod saluator in euangelio ait: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorū. Hoc regnum domus est illa, ad quam ouis a grege suo aberrans cum inuenta fuerit, humeris repositatur pastoris, & fit gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente magis quam supra nonagitanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Denique pœnitenti in cruce latroni, Christumque confitenti, ad eode respōsum est: Hodie mecum eris in paradiso. Et in Apocalypsi beati dicuntur, qui lauāt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent ciuitatem. Beati sunt qui peccatorum maculas lauant, sed eas in sanguine agni lauari oportet, quia pœnitentia nihil iquaret, si Christi passio sub maledictio venundatos non redemisset. Lauantur itaque in sanguine agni, qui in Christum credentes, eius misericordiam pœnitendo & sperando implorant, & eodem miserante, bonum quod cupiunt, consequuntur. Neque enim nisi fideles forent, quos peccasse pœnitet, per portam, id est, per ipsum qui ait, Ego sum ostium ouium, ciuitatem illam, patriam beatorum perpetuam atque perennem, ingredi potuissent. Quanta conferat nobis pœnitentia diximus, nunc qualis esse debeat, vt ea conferantur, dicemus.

Qualem oportet esse pœnitentiam. Ca. XII

Matth. 21.

EX arbitrii libertate proficiscatur oportet, quicquid operis vel pœnam meretur, vel præmium. Pœnitentia igitur nisi voluntaria fuerit, dei aduersus peccatorem iram placare non poterit. Libertas ista in illa duorum filiorum parabola manifesto apparet, qui a patre iussi vt vineam cultum irent, alter negauit se iturum, & pœnitentia motus, iussit. alter iubentiquidem assensit, sed mutato proposito ire noluit. Par

lio momento vtriusq; in contrarium reuoluta est volū-
 tas. Is tamen patris imperium peregrisse dicitur, quē nol-
 le obedire pœnituit, & quod ante noluerat, rursum vo-
 luit, suaque sponte fecit, quod liberum erat facere nol-
 le. Hoc si inuitus fecisset, inter non obedientes habēdus
 esset, non enim pro eo quod quis nolens, sed pro eo qđ
 volens benefacit, laudem meretur atque gloriam. Vo-
 luntas ergo vt bene de deo, mereri possit, libera ad pœ-
 nitentiam agendam accedat, non coacta, non vi aliqua
 compulsa. Deinde voluntariæ pœnitentiæ iungenda ē
 submissæ mentis humilitas. Ille qui a patre recedendo
 peccauerat, veniam petendo dixit, Non sum dignus vo-
 cari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis,
 ideo æquari fratri qui non deliquerat, vel etiam præ-
 ferri meruit. Et publicanus dum cernuus orat, indignū
 que se iudicat in cælum suspicere, Christo testante re-
 redijt iustificatus, cæli ciuis futurus, qui peccati seruus
 fuerat. Sed si ne iustus quidem, nisi se humiliauerit, ex-
 audietur, quanto minus peccator veniam impetrare po-
 terit, nisi simul & pœniteat & humilietur? Hoc ipsum
 dominus a nobis exigens, clamat, Conuertimini ad me
 in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, &
 scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Cor au-
 tem humiliatum, & intus pœnitentiæ dolore scissum, la-
 chrymæ (si fieri potest) foris per ora manantes testen-
 tur. Mulieri pœnitenti in euangelio dimittuntur pecca-
 ta multa, quia dilexit multum. Sed dilectionis huius tes-
 tes lachrymæ erāt, quibus pedes domini rigauit, capil-
 li, quibus rigatos tersit, labia, quibus terfos osculata est,
 unguentum, quo illos post oscula vnxit. Mœror, humili-
 litas, amor, simul mixta erant, omnium tamen causa fu-
 erat amor, quo concupiuit cum ipso in gratiam redire
 quem offenderat. Petrus quoque apostolus negationis
 crimen fletibus diluit amaris, & qui ante lachrymas do-
 mino infidus extiterat, post lachrymas regni cælestis
 clauis ipso tradente accipere meruit. Ad eiusmodi fle-
 tum Iacobus apostolus nos inuitat, dicens, Emundate
 manus peccatores, & purificate corda duplices animo,

Lucæ. 15.

Lucæ. 18.

Iohel. 2.

Lucæ. 7.

Matth. 26.

Iacobi. 4.

- miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in lacrimis conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu domini, & exaltabit vos. Per hoc quod in fine subiunxit, docet penitentis lachrymas æterna consolatione esse dignas. Eadem Pauli sententia est, vbi ait, Quæ secundum deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur. Tristitiam vero istam atque fletum, ne leuitatis esse videantur. vitæ austerioris obseruatio comitari debet, vt quod per voluptatum illecebras peccatum est, per corporis afflictionem purgetur.
- 2. Cor. 7.** Intrate, inquit dominus, per angustam portam, quia angusta & arcta via est quæ ducit ad vitam. Quod si per viam istam sanctos & pios homines cælum ascendisse credimus, quomodo qui peccauerunt id assequi posse sperant, nisi & ipsi per eam inceserint? Iob iustus nullius mortiferi delicti conscius, & qui summi dei verbis laudatus fuerat, præter illa quæ ad patientiæ probationem pertulit, saccum consui, inquit, super cutem meam & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Daniel inter prophetas egregius habitus est, visionum somniorumque intelligentia donatus est, puer adhuc senes iudicauit, et tamen ego Daniel, inquit, lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum. Quid de Iohanne baptista dicam? In matris utero sanctificatus, de muliere genitus prælatus, plusquam propheta habitus, deserti angustias volens patitur, pilis camelorum vestitur, zona pellicea præcingitur, & in tam vili habitu vilius nutritur, locustas & mel syluestre comedens & aquam bibens, a vino autem & sicera se abstinens. Si ergo electorum dei talis in terra vtriusque fuit nullius pene culpæ conscius, quos labores quas vigilias, quas ieiunia, quas asperitates, nobis tot criminum inquinatiõe sceleratis non vltro subeundas dixerim, vt mundemur? Veruntamen quorum durioris vitæ rigorem sponte susceptum imitari proposuerimus, eorum sequi debemus & mores. Frustra enim aliquis
- Matth. 7.**
- Dan. 10.**
- Iohannes Baptista.**

corpus exterius fatigationibus exercet, si mens intus non se omnino disponat, ita vitio abstinere, vt etiam diligenter incumbat studio virtutum. Ideo dictum est Facite fructum dignum pœnitentiæ, quia maxime pœnitentibus conuenit, vt dimissis flagitijs, bene beateque viuendi exercitationibus operam impendant, vt videlicet superbiam excludat humilitas, libidinem castitas, auariciam liberalitas, crapulam abstinencia, otium labor, dolum simplicitas, odium charitas, et quicquid culpabile fuerat, contraria probitas compenset. Atque ita in cubilibus (vt Isaias ait) in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci, & erit ibi semita, & via sancta vocabitur. Hoc est quod apostolus nobis suadet, vt deponamus veterem hominem, qui corrumpitur per desideria erroris, & induamus nouum, qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Hac tali negotiatiõe talenta nobis credita duplicantur, & qui super pauca fidelis fuerit, super multa constitutus intrabit in gaudium domini sui. Super omnia vero cauendum est, ne dum pœnitentiam mire procrastinamus, pœnitentiæ tempus effluat, & in peccatorum luto adhuc defixos repente mors occupet. Vide igitur ne te iuuenilis fallat ætas, ne salubre corpus & robustæ vires decipiant. Nulli ætati parcit mors, & sicut senes ita & pueros rapit, quinimo rari admodum sunt, quos ad senectam vsque patitur peruenire. Plurimos præterea eadem dies sanos fortesque incedere vidit, & exanimis concidere. Nulla vitæ securitas est, semper inter pericula versantium. Potes vel morbi vi, vel venenati cibi haustu, vel serpentis ictu, vel ficarij altcuius improviso percussu, vel alio aliquo inopinato casu protinus extingui, denique quod multis accidit, potest & tibi. Idcirco sicut in E C C L E S I - A S T I C O scriptum est, Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem, subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Expectaris a domino, vt sceleris perpetrati te pœniteat, & mores vitio corruptos virtutis operibus cu-

Matth. 13

Isaiæ. 35.

Thessa. 4.

Eccel. 5.

res ne pereas, tu vero tuimet oblitus, perire mauis quā corrigi, & tam benignum dominum, tam pium patrē non cessas offendere. Iam tandem excute insaniam istam & resipisce, ac saniore vsus consilio, rumpe moras omnes, pone finē flagitijs, & supplex veniam ora, vt deo miserante, dum miserandi superest tempus, mereri cælestia incipias, cum terrena spreueris. Quod si cunctantem mors præuenerit (vide in quanto uerferis discrimine) æternam quæ pœnitentib⁹ datur beatitudinem amittes, & in ignem inextinguibilem, quo curruūt obstinati, perpetuo cruciandus deſcideris. Nihil est quod magis cauere debes, ergo & nihil magis accelerare quā penitentiam, per quæ talia cauentur, & mutata sorte tam immensum malum uitatur, tamque immensum bonum acquiritur. Hæc sunt igitur vere penitētis officia, quæ retulimus, vt uidelicet uolens non inuitus ad penitendum accedas, vt humilieris, vt lugeas, vt uitam magis laboriosam uiuas, vt præterita peccata succedentium virtutum meritis compenses, vtque in primis cures, ne penitendi tempus tarda conuersione imprudenter amittas. Ista tamen omnia cum perfeceris, uide ne quod tibi tribuas, totum diuinæ gratiæ acceptū referre debes, & cum propheta dicere: Scio domine quia non est hominis uia eius, nec uiri ē ut ambulet & dirigat gressus suos. Nam si humana fragilitas ad agendam penitentiam diuino non indigeret auxilio, Ieremias non orasset: Conuerte nos domine ad te & conuertemur, nec saluator dixisset: Sine me nihil potestis facere. & nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eū: cui sententiæ Pauli apostoli dictum concordat, ubi ait: Non uolentis neque currentis, sed miserentis est dei. Unde Philippensibus etiam scripsit, dicens, Cum metu & tremore uestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Idem arroganter sese offerentem increpans ait. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti?

Thre. 5.

Iohan. 15.

Iohan. 6.

Philip. 2.

.1. Cor. 4

De obstinatione non admittentium penitentiam Cap. XIII.

NVnc illos conuentamus, qui peccandi assuetudine obdurantur, quique graui aliquo execrandaque commisso crimine veniam desperant: & cum ad penitentiam conuerti alteris arduum videatur, alteris vanum, vtrique in proposito perditissimæ vitæ immobiles perseverant. Enitendum est, si modo possimus, quod irrationabiliter cõceperunt, ratione discutere, qua fortasse compulsi, mortiferum venenum euomere curabunt quod hauserunt. Tu qui multum temporis peccando consumpsisti, & ætatem ad bene agendum datam, in delicijs, in luxurijs, in obscenitatibus turpiter contriuisisti, quo excideris cogita, & vel in fine de regione longinqua incipe redire ad patrem quem reliquisti. Difficile est inquis ab usitatis desistere, & pellem iam inueteratam serpentis more cum noua commutare. Sed nisi de Iudæa transferis ad Galilæam, domini resurgentis gloriam videre non poteris. Tametsi hoc tibi difficillimum sit, incipe tamen, tenta, experire, quanto magis tardas, tanto rem factu difficiliorẽ reddes. Neque enim ad hanc difficultatem, quæ causaris, nisi per moras dilationesque cõuersionis descendisti. quo longius abieris, durius erit reuerti. oneri quotidie addendo, nisi rursus de illo demere incipias, grauitate crescente opprimeris. Quãdiu ergo penitentiam agere cõstitaris, indies deterior euadas necesse est. Iesu autem recedente de templo corporis tui (templum enim dei eras, dum innocenter viueres) nõ relinquetur lapis super lapidẽ quod non destruat, ois virtutum vis dissipabitur abcedente dño virtutis. Reliquum erit, vt vbi eradicata bona fuerint, inde exurgant mala, & de corrupto semine deterior exhuberet seges, & fiat nouissima tua prioribus peiora. Quãto ergo satius vt in tpe respicias, & cum diu dormieris, iam tandem expergiscaris, atque a vitijs quæ sequeris auersus, incipias iter ingredi virtutis? Quod si parumper perpẽdere volueris, quantum lucri facturus es, si te corrigas, quantum boni consecutu

rus, multo certe alacrius festinariusq; reditū expedies
 ad p̄biratē, quā ad neqtiam discessum hactenus expedi-
 sti. An tu ignoras iumenta onere grauata segnus a sta-
 bulis abire solere, celeri⁹ ꝑo ad stabula remeare? & hoc
 qdē oneris deponendi pabuliq; sumēdi gr̄a. Nunquid
 ipse minus, puidus pigris abis fascem istum peccatorū, q̄
 premeris abijcere, & ad pastum cælestis mannae festina-
 re? nō quam veteres Israelitæ manducauerunt in deser-
 to & mortui sunt, sed qua qui recte vsi fuerint, viuēt in
 æternū. Consule igitur saluti tuæ dū licet. Nā quo nunc
 tendis, in vltima viæ crepidine terribile p̄cipitiū est:
 quo si corrueris, nunq̄ inde resurges. Nulla est em̄ redē-
 ptio in inferno. Quo aut̄ a nobis reuocaris, inde aditus
 est ad cælestem b̄itudinē, ad angelorū gloriā, ad reg-
 em gaudiūq; sctōrū. Nequaq̄ erit ita vt videtur difficile
 a prauis actōibus desistere, atq; ad iustitiæ sanctitatis
 q̄ opa accingi, si vel malorū p̄cā, vel bonorū æstima-
 re libuerit p̄m̄ium. Præterea ignaui ē p̄fecto eiusce rei
 exequendæ difficultatē p̄tendere, quā sæpe a plurimis
 peractam fuisse constat. Matthæus ante apostolatū diu
 multumq; auaritiæ studio vestigalium publicorū con-
 ducturas factitauit, quo die autem a Christo vocatus ē
 teloneum reliquit, & qui satis longum tempus māmō-
 næ seruerat, statim fit dei seruus Christi; Apostolus.
 Zachæus quoque æratem in exigendis vsuris contriue-
 rat, viso tandem domino, totum quod fœnore quæsitū
 erat, distribuere pauperibus cœpit, & illis quos aliqd
 defraudauerat satisfacere. Eodem itaque die, quo finē
 criminum fecit, Christum domi suæ hospitem meruit
 habere. Multa id genus exempla tibi de scripturis pos-
 sem proponere, si in his recensendis occupari vellem.
 Currentem per consueta vitia rotam affixo p̄c̄nitenti-
 tiæ paxillo sistere non vales, si alij non pauci valuerē?
 Serum est dices, at etiam nouissimis datur denarius si
 cut primis. Et mulier duodeuiginti annos inclinata,
 ad cælestem medicum tandem accedens extento dorso
 erigitur, qm̄ eum qui mortuos ad vitam excitat, suam
 etiam infirmitatem quā chronicam diutināq; curare

Matth. 9.

Zachæus.

Lucæ. 13.

& posse credidit, & velle speravit. Nunquam serum est salutem querere: cum semper spes impetrandi suppetat, donec in corpore datur spirandi copia. Sed quia deorum nostrorum exitum nescimus, periculo fissimum est postremum expectare, ne forte is hodiernus vel crastinus sit, & tunc mori cogamur, cum nos multum adhuc victuros credimus. Cæterum si conuersioni tuæ (vt potissimi me fit) hoc obstat, vt violentæ admodum sensuum tuorum cupidini non potes resistere, da operam vt possis. Tolle concupiscendi occasiones, & membra scandalizantia abscide: auerte oculos ne videant quod ad peccandum prouocat, aures ne audiant, nares ne odorentur os ne loquatur, manus ne contrectent. A pristinis quoque sodalitijs ac societatibus paulatim te submoue, & iam honestiorum deumque timentium hominum lateri adherere stude, consortio consilijsque eorum utere, quibus persuasus, is qui nunc es, esse defines. Nam si iuxta Apostoli sententiam, mala colloquia corrumpunt mores bonos, consequens est, vt bona colloquia malis moribus remedio sint. Verissimum est enim quod in psalmo dicitur: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Iubes me inquires, veteribus amicis novos præferre? Imo malis bonos, & vt apertius dicam, inimicis amicos, & cum his quidem gratiam inire, illos relinquere. Vehementer enim erras, si ab ipsis te amari putas, q̄ ne sibi quidem amici esse censende sunt, cum improbe incontinenterque viuendo & se & te pariter perditum eant. Ergo vt a facinorosorum societate consortioque discedas, & viris animi integritate conspicuis vti incipias hortamur, non vt amicos derelinquas. Quod si isti quorum nunc familiaritate delectaris, æqui atque honesti amici essent, & te ab eis amari faterer; cum autem te secum simul cõtempta virtute per deuia vitiorum trahant, audeo dicere (quis enim verum dicere non audet?) capitaliorem illis inimicum habes neminem. Talibus astit carere non posse, non eos deserendi difficultas facit, sed male sibi cõsulendi stultitia.

Psal. 17.

Quid enim illo homine dementius, qui mauult perire cum scelestis, quàm cum probatis viuere? Tu si tua salus tibi est curæ, ut esse debet, istos ipsos aut tecum simul si potes, ad pœnitentiam conuerte: Aut si non potes, tuge, ne vna cum illis intereas. Melius est tibi mancum & claudum & altero carentem oculo intrare in paradisum, quam duas manus & pedes & oculos habentem mitti in gehennam. Meli' est enim sine amicis gaudio perfrui sempiterno, quàm cum amicis tradi supplicis. Quod si decursæ in voluptatibus vitæ vsum abhæcere tibi prorsus molestum est, quæso ne saltem pigeat talis vitæ qui tandem finis sit considerare. Siquidem prudentis est prouidere futura: & si bruta quoque quædam animalia venturæ tempestatis præsaga, antequam erumpat procella, ad tranquilla sibi loca cõfugiunt, minus te rationalẽ existimabo, si proposita voluptuarijs incontinentibusque tormẽta tecum quõdoque non mediteris, vel cum meditaris non expauescas, teque ad eum vitæ statum cõferas, in quo & de pœna securior esse possis, & de præmio certior. Noli ergo fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. ratione vtens ad ea quæ futura sunt, mentem dirige, & ad salutis portum, dum euadendi naufragij spes est, vela cõuerte. Vel si vsque adeo inualidus & eneruis es, ut ratem corporis tui regere nequeas, ora ut queas. Petite, inquit dominus, & dabitur vobis. Non potes excusare imbecillitatem, vbi auxiliũ tibi promittitur si petieris. Quid igitur? mollescis ne iam ad pœnitentiam, an adhuc in proposito inolitæ pueritatis obduras? Monstrata hactenus remedia si parum proficiunt, nunc demum minis tecum & terroribus (ne quid intentatum relinquatur) agam. Quid est quod viuis, cum morte magis dignus sis, nisi quia domino miserante expectaris ut melius viuas? quod si vltra obstinatus esse pergis, cum ficu infructuosa succideris, ne terram occupes: succideris, inquam, & in ignem mitteris, & ardes, palmitis instar a vite abscisi, atque arefacti, omnique humore quo reuiuiscere posset destituti. Abscisus quippe es a vera vite, & a Christo alienatus, quamdiu peccaris finem non statuis, quamdiu

te creatorem tuum redemptoremq; offendere non pe-
nitet, quamdiu non metuis dominum tuum, nec illi ob-
temperas, cui angeli in cælo assistunt, quem sancti om-
nes venerantur, omnes inferi contremiscunt, qui est su-
per omnia potens, in omnibus sapiens, omnium optimus,
primus omnium, omniumq; postremus, neq; iniriū ha-
bens, neq; finem, benignissimus pœnitentium remune-
rator, seuerissimus obstinatorum ultor ac punitor. Et
cum tantus talisq; sit, tu illum tibi iratum esse audes
negligere? tu illum peccata peccatis cumulâdo ad vin-
dictam non vereris prouocare, cum tamen a peccatis
desistendo placare posses. Ipse enim per prophetam ti-
bi pollicetur, nullam de tot offensis vnquam se expro-
braturum, si offendere desieris, & secundum sua præce-
pta cœperis operari; neq; esse suæ voluntatis asseuerat,
vt moriatur peccator, sed vt conuertatur & viuat. Oïa
ergo facit, vt saluti tuæ consulat. Atq; huc tendit quod
pœcepit, quod promittit, quod minatur, quod flagellat,
quod delinquentem non statim perimit, quod aliquân-
do etiam beneficijs ad pœnitentiam prouocat. Deniq;
vt peccatoribus vitam daret, filium suū vnigeniū mor-
ti obtulit. Cuius quidem sanguis, quemadmodum tunc
omnes Adæ filios a peccato lauit, vt qui crediderit &
baptizatus fuerit, saluus sit; ita nunc singulos emun-
dat, quoties nos deo peccasse pœnitet. Vtere tandē tan-
tæ erga te dilectionis beneficio, dum licet, dum tempus
est, dū vita suppetit; si sine illo decesseris, q̄s miserebit?
Quære dominū dum inueniri potest, inuoca dum pro-
pe est: ne te postea ingratitude damnet, & tanquam
ignauissimum vineæ suæ, hoc est animæ tuæ, quam ti-
bi cōmēdauit, cultorem arguat dicens: Quid facere de-
hui vineæ meæ & non feci? Expectaui vt faceret uuas,
& fecit labruscas. Deinde indignatus penam inferat q̄
subdit: Auferā sepem eius, & erit in direptionem. di-
ruam maceriā eius, & erit in conculcationem, & po-
nam eā desertā. non putabitur, & nō fodietur, & ascen-
dent super eā vepres & spinæ. & nubibus mandabo ne
pluāt sup eam. Sub hac vineæ metaphora tibi sermo te

Isaiæ. 5.

xitur o peccator. Nisi enim in tempore penitentiam egeris, postea iusto dei iudicio auferetur a te angelorum custodia, & daemones eris in praedam, tolletur sperandi auxilij expectatio, & angustijs oppressus cruciaberis, omniq; ope destitutus, nec penitentiae falce poteris amputare nequitas peccatorum, nec cordis compunctione aliquid leuamenti promereri, sed operiet te omnibus spinis asperior penarum congeries, & nemo sanctorum pro te ultra deprecabitur. Hi enim sunt nubes caeli, qui super nos orationum suarum imbrem manantes, faciunt ut tam diu ad penitentiam expectemur.

Roma. 2. Expectaris & tu. sed si moram feceris, ab Apostolo quaeque audies, Ignoras quoniam benignitas dei ad penitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam & impenitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die irae & reuelationis iusti iudicii dei. qui reddet unicuique secundum opera eius.

Ad desperantem exhortatio.

Cap. XIII.

Nunc ad te conuerto magni atq; ingentis criminis conscie, qui te nullo modo veniam posse mereri existimas, nec perpendis quod dei misericordia multo maior sit oibus peccatis. Nihil est quod illa non delebit, si te commissi penituerit, semper parata est ad condonandum, si tu paratus es ad penitentiam agendam. Quod autem Christus dixit, blasphemiam in spiritu sancto irremissibilem esse, multi dubitant, vtrum intelligendum sit, quod nunquam dimittat, an quod difficulter, usque adeo existimant, si penitentia adsit, nihil obstare, quoniam benignitas diuina praestet veniam. Quale igitur, vel quam magnum esse potest scelus tuum, quod te ad desperationem remissionis gemit compellere, & de deo non recte sentire, ut tibi penitentiae parcere omnino nolit, cum nunquam ad penitentiam conuerfis & in ipsum confidentibus non ignoscat. Si adulterium, si homicidium perpetrasti, vtrumque Dauidi, cum se peccasse doluisset, est remissum. Si fenore & vsuris reus Zachaeus. quaevisisti, hoc Matthaeo Zachaeo fuit condonatum.

Pctm i spi
ritum sanctum

Dauid.
Matthaeus
Zachaeus.

Si persecutus es ecclesiam dei, de hoc facta est gratia Paulo; Si pernegasti dei filium de hoc Petro fuit venia data. Si stellas adorasti, si dijs alienis templa arasque posuisti, si obseruasti somnia, maleficijsque credidisti, si in dei seruos cædibus es grassatus. ista omnia Manasses fecerat & tamen cum eum pœnituisset, veniamque orasset exauditus est hostilique iugo liberatus, regnum recuperauit quod amiserat. Nullum ergo tam immane facinus committi potest, quod pœnitentibus miseratio non ignoscat diuina. Et cum ita sit nonne stultissimum est id desperare quod plurimis concessum fuisse non ignoras? Caterum neque pœnitentia ipsa peccati quicquam prodest veniam desperanti, cum hæc ipsa desperatio peccatum tale sit vt omne penitudinis meritum euacuet atque irritet. Nihil profuit Caino fratricidæ, quod a domino coargutus doleret, quia clementiæ diuinæ derogauit, dicens, Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear. Nihil Iudam proditorem iuuit suus pro commisso dolor neque confessio cum diceret, Peccauit tradens sanguinem iustum. Quoniam cum de dei misericordia desperasset tristitia superatus laqueo mortem sibi conciuuit. Penitenti igitur & petenti venia datur desperanti vero neque in hoc seculo neque in futuro paritur. Quidnam igitur te vltro perdis desperando cum iam certo scias esse locum veniæ si veniam poposceris penitendo? Cur non potius cum Dauide peccatum suum lugente exclamas, Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Magna misericordia magnum delet crimen, & miserationum multitudo multitudinem remittit peccatorum. Dominus clamat, Nolo mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat, & tu mori maus quàm conuerti, & veniã desperare quam poscere? Dominus soluit compeditos, dñs erigit elisos, & tu tam mortifero peccati vinculo non vis absolui? tam graui casu elisus non curas erigi de medico qui omnes in se confidentes in vnico verbo sanat diffidis? Graue est (inquis) peccatum meum

Manasses.

Iudas.

psal. 50

nunquid grauius quam istorum quorum modo mentem fecimus: quibus tamen quod nequiter deliquerat clementer dimissum constat. Nunquid etiam grauius est peccatum tuum quam caelum, quam terram, quam mare, sed quod potuit creare ista, non poterit sceleris tui pondus eleuare, & ubi abundauit delictum, ibi gratiam abundare facere? Nonne ille quoque qui dicebat, Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me, precatus est dicens, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me? Haud ita orasset, nisi spem haberet impetrandi quod orabat, sperauit & orauit, & voti compos factus est. Nonne etiam Hierosolymae urbi grauissimum idolatriae crimen expressit deus dixerat, Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, postea tamen ne de peccati remissione diffideret, Fornicata es, inquit, cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te, sed cum reuerti noluisset, aggrauassentque scelus mentis obstinatione eorum impietatem plumbi massa onerari vidit Zacharias propheta, dominoque ulciscente urbs passa est excidium, & illi captiui ducti in Chaldeam. Internitione quidem deleri merebantur, sed dominus temperauit iram, ut postea ostenderet etiam in obstinatos clementiam. Postquam enim eos poenitere cepit peccata confitendo misericordiamque dei implorando ipso fauente de seruitutis iugo liberati atque ad patriam solum postliminio reuersi instaurata ciuitate temploque erecto sortis pristinae statu frui coepere. Iam ergo vides (nisi adeo caecus es, ut nihil veri videas) quia nulla est prorsus tanta delicti alicuius magnitudo, tanta grauitas, quam dei misericordia a poenitentibus requisita non minuat, non eleuet, non denique ad nihilum redigat. Soli hanc consequi nequeunt, qui de ipsa desperant, Licet igitur te peccasse poeniteat, nisi etiam peccati veniam desperasse poenituerit, cum impoententibus computaberis. Quamobrem festina deponere dementiam istam a sumi, ut flagitij tui magnitudine diuinae clementiae im-

Ierem. 2.

Zacha. 5.

mentem putes inferiorem. Deus pater misericordiarum est, miserationum suarum non est numerus. Sperandum in illo. Sperantes in domino misericordia circumdabit. dum te pœnitet, dum speras dum precaris etiam sancti pro te orant, angeli vota tua offerunt deo, Christus ipse pro te patrem interpellat, dicente Iohanne Apostolo: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum & ipse est propitiarius pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi. Desperantium vero Christus non aduocatus est sed iudex. Considera igitur utrum tibi sit melius veniam sperare ut Christi patrocinio subleueris, an desperare, ut eiusdem iudicio damneris & in æternum pereas. Hactenus de pœnitentia, nunc de confessione peccatorum quæ pœnitentiam comitari debet, aliquid memoremus.

De peccatorum confessione. Cap. XV.

Tria sunt peccatorum genera: aut enim peccamus cogitatione aut verbo aut opere. Per ista mentem discurrendo, postquam conscientiam diligenter accurateque exanimauerimus, tam de omnibus quam de singulis, in quibus deo vel proximo aliqua illata est iniuria dolentes mortisque in primis, & ante sacerdotem veluti ante Christum reuerenter genibus prouoluti cuncta illi exponamus occultemus nihil. Manifestanda est enim medico ægritudo, ut ille adhibitis remedijs instauret sanitatem. Illi autem animarum nostrarum medici sunt quibus concessa est soluendi ligandique potestas ab eo qui dixit: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remissa erunt, & quorum retinueritis retenta sunt. Ab eo inquam qui est sacerdos in æternum qui in cælum ascendens vicarios nobis in terra reliquit ipsos sacerdotes, & Petro curam ouium suarum pastor bonus commendans, atque clauis regni cælestis tradens dixit, Quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Non dubitemus igitur,

quin peccatum illud deletum sit, quodcunque Christi sacer-
 dotes rite dimiserint. Ab eo ius soluendi atque ligandi
 acceperunt, quod potest omnia, & per quem facta sunt
 omnia in caelo & in terra & in omnibus abyssis. Ipsi iu-
 dicent inter lepram & lepram, ipsi peccatorum nostro-
 rum morbos curent, ipsi nos ad aeternam transmittant
 salutem, suppeditantes quicquid ad eam assequenda no-
 bis necessarium fuerit. Necessarium est autem baptismo ab-
 luiti, chrismate inungi, sed quoniam etiam post haec in
 multis delinquimus, nihil deum ita necessarium est, ut pec-
 catorum cum poenitentia confessio. Hac sola quoties ca-
 dimus, erigimur & stamus. Baptismus quidem sordes
 ante se contractas eluit semel confessio semper. Caeterum
 quod etiam per martyrium aboleantur peccata non am-
 bigimus domino dicente, Qui perdidit animam suam
 propter me & euangelium, saluam faciet eam, & per elee-
 mosynarum largitatem, cum idem dicat, Date eleemo-
 synam, & ecce omnia munda sunt vobis, & per iniuria-
 rum condonationem quia scriptum est, Si dimiseritis
 ex corde fratribus vestris peccata ipsorum, & pater ve-
 ster caelestis dimittet vobis peccata vestra & per exhor-
 tandi studium, quo alios a flagitio ad virtutem reuo-
 care nitimur, quia dicitur: Si quis conuertere fecerit pec-
 catorem ab errore viae suae, saluat animam eius & ope-
 rit multitudinem peccatorum: & si qua alia sunt per quae
 remitti crimen dicatur, non ideo poenitentiae confessio
 nisiue sacramentum excludi putes, nec sine ipso te salua-
 dum credas, si talia feceris: nisi enim peccasse poenituerit,
 nihil ista prodierunt. Peccato deus offenditur. Quod si
 pro peccato quo deum offendisti, non dolcas, careas chari-
 tate, sine qua (teste Pau. apost. in quo Christus locutus est) nec
 corpus tradere ut ardeat, nec facultates in cibos pau-
 perum distribuere, nec hominum angelorumque linguis lo-
 qui, nec fide motes transferre, quicquam prodesse poterit. Poeni-
 tentiam itaque agere oportet, & illa non omittenda. Quic-
 quid enim pie sancteque agitur, appendix poenitentiae est
 & pro culpa satisfactio, ut purgatorij poena vel breui-
 or sit, vel nulla, si plene in vita satisfactum fuerit, vel e-

Matth. 18.

Mar. 8.

Lucæ. 11.

Matth. 6.

Mar. 11.

Iacob. 5.

tiam vt post culpæ pœnæque abolitionem plus glo-
 riæ in cælo mereri possint. qui hic benefecerint. Restat
 vt dicta euangelica, quæ memorauimus, quæque illis si-
 milia sunt, ita intelligantur. vt si fiant quæ in ipsis præ-
 cipiuntur, peccatori ad emundationem adiumento fo-
 re, si tamen præcesserit pœnitentia cum confitendi pro-
 posito, quando fuerit opportunum. Igitur sic charitas
 ipsa fundamentum & consummatio virtutum est, ita
 pœnitentia finis esse debet peccandi beneque agendi
 initium, vt cætera feliciter succedant deoque grata atq[ue]
 accepta sint. Si quis tamen solam pœnitentiam sibi suf-
 ficere credens confessionem respueret, in hæreticorum
 numero ponendus esset, neque ei profecto prodesse po-
 tuisset pœnitentia ab ecclesiæ corpore separato. Separa-
 tum enim a corpore membrum non viuificatur, sed
 quamdiu diuisum est, manet in morte. Confessionis au-
 tem sacramentum tam veteribus quam nouis homini-
 bus commune est. Primi parentes nostri Adam & Eua Gen. 3
 cum peccassent peccatum suum confiteri coacti sunt,
 deo interrogante quare fecerint quod facere interdicti
 erant, & illis respondentibus qualiter in id criminis in-
 cidissent. Voluit itaque deus a primo homine confessio-
 nis inchoare mysterium vt ostenderet nulli posterore
 claudi confugium ad veniam, quod apertum esset pri-
 mis. Quamobrem & ab his descendentium Israelitæ
 mos fuit, quoties ærumnis oppressi essent, dei opem im-
 plorare cilicio contegi cinere conspergi, ieiunio corpus
 affligere, & præter hæc peccata confiteri, sic humiliati
 deo miserante angustijs liberabantur, & a peccatis qui-
 dem absoluti abibant, præter originis culpam, qua ab-
 solui non poterant, donec redemptor in lege pmissus
 non venisset. Quare nec illorum confessio in lege potu-
 it esse ita plena (nihil enim ad perfectum adduxit lex)
 vt est nostra in euangelio cum illa in parte manca sit,
 hæc per omnia integra & perfecta. Illa simul multo-
 rum, hæc singulorum, illa deo audiente tantum, hæc
 tã dei sacerdote examinãte & ab omnibus absolvente.

Nondum enim illis mediator venerat Christus dominus, per quem nobis referatus est aditus ad caelestia, & cuius cruore a corruptae originis culpa exiati, in sancta cepimus introire, & haeredes fieri non terreni & temporalis regni, ut illi, sed caelestis & aeterni. Ne igitur tanti erga humanum genus beneficii memoriam vlla unquam deleter obliuio, mediatoris atque redemptoris Christi locum in terra tenere ceperunt sacerdotes. Per eos ipse verus agnus pro nobis semel oblatus, quotidie offertur. Per eos ecclesiae sacramenta participamus, remissionemque accipimus peccatorum, & postquam his penitus mundati vita ista decedimus, non iam ad inferos, ut veteres illi, sed ad caelestem patriam, ut in Christo renouari transmigramus. Tantae igitur virtutis est nostra confessio, ut non solum de peccatoribus iusti os faciat, sed etiam de terrenis caelestes, de mortalibus immortales, de miseris felices. Haec enim confessio peccata delet, & animam a morte liberat, quod ostendit Ezechias ad dominum dicens; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae, tu autem eruisti animam meam ut non periret, profecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Idem testatur psalmista cum ait, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Per hanc dum preces effundimus, voti compotes efficimur, eodem propheta dicente; Vias meas enunciaui tibi, & exaudisti me. Per hanc prauis cogitatus dissipatur, & qui boni sunt, succedunt. Sicut Salomon in pro uerbis affirmat, dicens; Reuela domino opera tua & dirigentur cogitationes tuae. Haec denique sancta confessio diabolo nos ereptos reddit deo, & de filiis tenebrarum filios efficit lucis. Ille qui luxuriose viuendo bona consumpserat, ita ut porcos pasceret, ad patrem supplex confugiens, ac se peccasse confitens, amplexum osculumque patris accipere meruit, & stolam, & annulum, & calciamenta, & conuiuium. Nihil quod male egerat exprobatum ei, sed humilis confessionis merito in haereditatem cum omni latitiae ambitu fuit admissus, in-

Isa. 38.

Psal. 31
Psal. 118.
Luc. 15

genti calamitate in summam beatitudinem commutata. In integrum itaque restituitur gratia, cum peccator per penitentiam & confessionem humiliatur. Postremo quicquid diximus de penitentia, idem de confessione est sentiendum. Neque enim perfecta esse potest penitentia sine proposito confitendi, neque utilis confessio absque penitentiae admixtione.

¶ De his qui confiteri negligunt.

Cap. XVI.

DE illis vero qui tam salutiferam peccatorum confessionem peruicaciter deuitant, a via virtutis perpetuo aberrant, quia in tenebris manent, neque quo tendere debeant satis perspiciunt, scriptum est: Qui absconderit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quid autem prodest id celare hominibus, quod non latet deum? Peccata enim quae nunc vni sacerdoti abscondis, in die iudicii omnibus manifesta erunt, dicente domino: Reuelabo pudenda tua in facie tua. Coram vno modo non vis erubescere? coram plurimis postea confunderis. Omni tamen verecundiae tuae molestia intolerabilior erit iudicis aduersum te seueritas atque cognitio, ea te peccatis grauatam in barathrum detrudet inferni: ut qui confessionis beneficio per misericordiam dei oblato uti noluisti, terribiles infinitosque cruciatus patiaris per iustitiam, dicente Osee propheta: Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei. Talis itaque merces illius erit, cuius peccatum nunc absconditum est nolentis illud secundum diuinam humanamque legis praescriptum confiteri, palamque alteri facere. Nam siue timore, siue pudore id faciat, non excusabitur. Magis enim deum timere debuit quam homines, & potius contempto rubore purificari velle, quam subtracta confessione sordescere. Porro sicut hi qui nunc scelerum suorum poenitentes propria confessione se accusant, angelorum patrocinio subleuati erunt ut beati sint; ita

Prou. 18

Naum. 5

Osee. 13

qui errata suo modo dissimulant, a diabolo tandem ac-
cusabuntur, vt Christi iudicio condemnentur. Curra-
mus igitur totis affectibus ad portum salutis, ne deli-
ctorum tempestatibus acti mergamur in profundum.
Doleamus q̄ peccando præuaricati sumus diuina man-
data, & cum certa emendandi, satis faciendiq; destina-
tione singula quæq; quibus effendimus, confiteamur.
Alioquin ne illa quidem quæ benefacimus, proderunt
ad beatitudinem consequendam, nisi de malis q̄ cōmi-
simus tristemur, eademq; sacerdoti indicemus, vt vo-
lentes moneat, vt sustinere paratos castiget, multaq;
pro delictis, quæ sibi aptior videbitur imposta, mun-
dos puerosq; restituat, ecclesiæ deoq; recōciliet. Si enim
confiteamur peccata nostra (vt Iohannes apostolus in-
quit) fidelis est & iustus dominus, vt remittat nobis
peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Re-
missio minuit culpam, emundatio tollit penam & con-
fert beatitudinem, dicente domino; Beati mundo cor-
de, quoniam ipsi deum videbunt.

1. Iohan.]

¶ De sacramento corporis Christi.

Cap. XVII.

Poenitentes de his quibus te offendimus dñe, &
eadem sacerdoti tuo confessi, atq; ab ipso cui tu
soluendi potestatem dedisti absoluti, ad mensam
saluberrimi conuiuii tui accedimus, vt corpori & san-
guini tuo communicemus. Indigni quidem, sed tñ abs-
te inuitati, q̄ infirmitati nostræ p̄sentaneum porrigēs
remedium, sacratissimum corpus tuum sub specie pa-
nis, Accipite inqs, & comedite, hoc est corpus meū. De-
inde p̄ciosum sanguinem tuum sub specie vini in calice
infusum, p̄pinans ais; Bibite ex hoc omnes, hic est enim
sanguis meus noui testamenti, q̄ pro multis effundetur
in remissionem peccatorū. Et añ per Salomonem in p̄-
uerb̄is hortatus es, dicens; Venite & comedite panem
meū, & bibite vinū q̄d miscui vobis. Ad tuū ergo cōui-
uiū a te inuitati, a te vocati accedimus, cū plena fide, cū
indubitata credulitate confitentes, panem & vinum

Matth. 20

Prou. 9

tuis verbis a tuo sacerdote consecratum, tuum esse corpus, tuum esse sanguinem. Tu enim ipse qui veritas es, hoc testaris & affirmas, cui vel minimum refragari infidelitatis crimen est. Panis viniq; figuram oculis cer-
nimus, odorem naribus haurimus, saporem ore gusta-
mus, duritiem atq; liquorem tactu sentimus, & tamen non nostris sensibus, sed tuo testimonio credimus. Om-
nis enim homo mendax, tu solus verax, tu ipsa veri-
tas, quæ nec decipi potest nec decipere. Nos itaq; cor-
pus tuum clementissime domine, & tuum sanguinem
aliena specie velatum fideliter accipimus, nec omnino
qua ratione id fieri possit quærimus, aut quomodo pa-
nis viniq; substantia in substantiam corporis & san-
guinis tui transeat, cum accidentia non mutantur ser-
vamus. Maius est enim miraculum istud quam vt hu-
mano ingenio vel scientia comprehendere possit, te tamen
tradente verum esse credimus, etiam quod intelligere
quomodo verum esse possit nequimus. Etenim suis fi-
nibus circumscriptus est intellectus noster, tuæ autem
potentiæ, tuæ sapientiæ nullus est finis, nulla circum-
scriptio: omnem numerum, omnem excedit modum.
Stultus est igitur, qui tanti mysterij altitudinem se de-
prehendisse putat, nisi ipse reveles, ipse aperias, ipse il-
lum tam singularis intelligentiæ efficias capace[m]. Nos
interim non ideo credimus panem & vinum in substā-
tiam tui corporis & sanguinis transmutari: ga & vxor
Loth versa fit in statuam salis, & virga Moysi in colu-
brum, & cibus atq; potus in carnem & sanguinem ani-
malis: nam simul cum accidentibus ista mutata sunt,
sed quia nihil verius esse novimus his, quæ te docente
discere contingit. Confitemur te esse verbum, per qd
facta sunt omnia, & sine q factum est nihil. Quid ergo
factu tibi impossibile, si modo illud vt fiat, tuæ conue-
nit maiestati? Absit igit vt qcq; dubitemus de tam mi-
rabili stupendoque sacramento, cuius tu & autor es,
& testis. In quo magis mirari licet tuæ in nos benigni-
tatis magnitudinem, quam incomprehensibile ope-
ris arcanum. Tu te nobis domine prestas in cibum;

quite pro nobis supra crucem obtulisti in sacrificiū,
 sed ibi visibilis & passibilis & mortalis apparebas, hic
 latens gloriosus & deuicta iam morte triumphans. Ibi
 abscondita erat in homine diuinitas, hic in panis vi-
 niq; figura celatur & humanitas. Sed licet neutri cer-
 nant oculi, vtrunq; tamen confitetur fides. Tu hic to-
 tus es, qui & in cælo es totus, cælestia non derelinquēs
 & terrena visitans. Nam & in cælum ascensurus te q̄ti
 die nobiscum fore pro miseris vsq; ad seculi consum-
 mationem. Itaq; & nobiscum es domine in terra, & cū
 patre in cælo, nobiscum in specte aliena, cum patre in
 propria: in terra mundans peccatores, in cælo munda-
 tos suscipiens. Cælum & terram implet tua diuinitate
 & quoniam et tua iuncta est humanitas, vbicunq; diuī-
 nitas est, illic si volueris, & humanitatem tuam esse ne-
 cesse est. Quid ergo mirum, si in multis locis es qui in
 vno, qui in pluribus hostijs qui in vna? Porro cum tibi
 placuisset, ineffabili corporis & sanguinis tui sacramen-
 to fideles tuos pascere & tibi vnire sub panis viniq;ue
 figura latere voluisti, vt nemo horreret gustare, quod
 fideliter gustatum beatitudinem cōferret. Primus Mel-
 chisedec in sacrificio panem & vinum obtulit. Inde tu
 diceris in æternum sacerdos, non secundum ritum eo-
 rum qui pecora sacrificabant, sed secundum ordinem
 Melchisedec, qui pane vinoque litauit. Illius tamen sa-
 crificium signum & umbra fuit, tuum autem veritas
 est & lux, tuum istud & prophetæ futurum prædica-
 uerunt, & figuræ significarūt, vt in eo credendo, quod
 & vetustas promitteret, & nouitas exhiberet, fides no-
 stra stabiliretur atque firmaretur magis. Ab Isaia præ-
 dictum audimus, Et faciet dominus exercituum omni-
 bus populis in monte hoc conuiuium pinguiū, conuiuī-
 um vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ de-
 fecatæ. Et ab Ieremia, Omnis laguncula implebitur vi-
 no. Et ab Ezechiele, Vocabo frumentum & multiplica-
 bo illud, & non ponam vobis famem. Et ab Osee, Con-
 uertentur sedentes in umbra eius, viuent tritico, &
 germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinum

Matt. vlt.

Gene. 14.

Isaia: 25.

Jerem. 13.

Ezech. 36.

Osee. 14.

Libani. Et a Zacharia, Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum ei⁹, nisi frumenta electorum, & vinum germinans virgines. Et a Malachia, In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Figuræ autem atq; signa fuere, sacrificium Melchisedec sacerdotis, manna in deserto, agnus paschalis, hostia sanctorum oblata pro peccato, hostia pacificorum oblata domino, subcinericius panis Eliæ in itinere, panes propositi in templo. Quicquid in his fuit significatū, in tui domine glorificati corporis sacramento credimus impletum, atque ideo non quod videmus in eo, sed quod credimus adoramus, vt Perri apostoli tui promissum te donante nobis persoluatur dicentis, In quem nunc non videntes creditis, credentes exultabitis latitia incnarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestre salutem animarum vestrarum. Hoc illud est quod & ipse dixerat, Beati qui non viderunt & crediderunt. Accedimus etiam ad te domine cum timore & humilitate. Tu es enim ille, de quo in psalmo est dictum, Escam dedit timentib⁹ se. Tu das te ipsum his qui maiestatem tuam offendere metuunt, & eidem in omnibus obsequi desiderant. Accedimus ad te in amorem tuum insinuari cupientes, tu quippe das escam esurientibus, vt dulcedine charitatis tuæ satientur, quam esurunt. Accedimus cum continentie castitatisque proposito. Nam si non licuit Dauidi & his qui cum illo erant, edere de panibus sanctificatis, nisi cum se a consuetudine mulierum expiassent, quanto continentiore esse oportet eum, qui castum corpus tuum, de casta sumptum virgine, & tibi vnitum esurus accedit? Er si de hostia pacificorum vesci iubet q fuerit mundus, quanto cōuenit esse illum mundiore, q te omnis munditie fontem, omnis gratie autorem cupit haurire? Tu es panis viuus, vitam nobis donans q̄ non habemus, & a morte liberans q̄ timemus. Ats enim, Ego sum panis vitæ, patres vestri māducauerunt māna in deserto & mortui sunt, hic est panis de celo descendens

Zach. 9.
Mala. 1

1. Pet. 1

Psal. 110

1. Reg. 21.

Leuit. 7.

Iohā. 6.

vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego
 sum panis viuus qui de cælo descendi. Si quis manducauerit
 ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem
 ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nihil est domi-
 ne tua ista oblatione melius, nihil pulchrius, nihil dul-
 cius, nihil iucundius. Quid est bonum eius, inquit Za-
 charias, & quid pulchrum eius nisi frumentum ele-
 ctorum, & vinum germinans virgines. Bonus & pul-
 cher es, non reprobis, sed electis: & fidei virginitatem
 consecutis, non hæreticis a sponsa tua ecclesia alienatis
 atq; fornicantibus. Tui præterea sacramenti dulcedo,
 a Psalmita mel dicitur: quoniam nihil aliud in terra
 gustu dulctus inuenit, cuius nomine illam exprimeret.
 Cibauit illos (ingt) ex adipe frumenti, & de petra mel-
 le saturauit eos. Idem alibi: Gustate & videte quoni-
 am suauis est dominus. Tu tua ista suauitate, isto mel-
 le, in cælo reficis angelos, animasq; sanctas, & morta-
 les pascis in terra. Vnde dicitur: Panem cæli dedit eis,
 panem angelorum manducauit homo. Postremo q; ci-
 bus iste ac potus, quem abs te nobis datum, pro maxi-
 mo munere accipimus, gaudere nos & exultare faciat,
 Psalmita testatus est, dicens: Educas panem de terra,
 & vinum lætificet cor hominis. Cum ergo mysticū ali-
 mentum istud tantum ac tale sit, merito quidem eucha-
 ristiam. i. bonam gratiam vocant, Se enim pie sumentibus
 magnam multiplicemq; cōfert gratiam, & ad sum-
 mam vsq; puehit beatitudinem. Te qppe in ipso sumi-
 mus, q totius boni largitor es, totius distributor feli-
 citatis atq; gloriæ. Tu sub aliena specie latens, & deli-
 cta nostra purgas, & purgatos ad purius viuendi stu-
 diū dirigis. Quod si in Leuitico qcqd tetigerit carnes
 hostiæ pro peccato oblata, sanctificari dicit, qd dubi-
 tat, quin istud qd pcessit in figura, cumulatus implea-
 tur in veritate? Tu ille es qui solo tactu leprosum munda-
 sti, mulierem sanguine fluentem curasti, puellā mor-
 tuam ad vitam reuocasti, vt ostenderes in te esse virtu-
 tem peccata præterita delendi, futura cauendi, & qui in
 peccatis mortui iacent, ad spem vitæ æternæ erigendi

zach. 9

psal. 80.

psal. 77

Ibidem.

Leu. 5.

Luc. 5:

Tua præterea in Ecclesiastico vox est: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Esuries ista & sitis, desiderium tui est, quo desiderio qui affecti fuerint, beati erunt, quia saturabuntur. Incipient enim repleti virtutibus, qui ante vitis referti erant: ut fiat quod in psalmo dicitur: A fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt, quod ut nobis contingat, ipse per prophetam hortaris, dicens. Dilata os tuum, & implebo illud. Qui paratior accedit, magis dilatatur, & qui magis dilatatur, magis & impletur. Cum autem implebimur, tunc præcipue ad te diligendum accendimur. Hoc propheta spiritualiter expertus, admiratur, & ait. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est. Sed oleum, quia lucernis additur, mentis illuminationem signare videtur, ut qui prius in tenebris ignorantiae erant, iam intelligentiae donum attingant, perinde atque illi, quorum oculi tenebantur ne te agnoscerent, & postea quidem cognouerunt, dum te ad suum diuertere hospitium cogunt, dum te aperiente scripturas discunt, per panis fracti sacramentum in tui agnitionem se venisse confessi sunt. Huius panis virtute animam quoque efficit pulcherrimam Ezechielis prophetæ testimonio discimus, dicentis, Si milam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis, Ex hoc præterea ad resistendum diabolo vires acquirimus, & contra carnis certamina efficitur fortiores, dicente propheta, Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Demum victo diabolo, & spiritu carni dominante, multa animi pace, multa quiete fruimur, iuxta illud, Qui ponit fines tuas pacem, & adipe frumenti satiat te. Et quid est usquam virtutis, quid gratiae, quid felicitatis domine Iesu Christe, quod tibi digne communicantes non adipiscimur? Tu in nobis es, & nos in te, quætes tuo cibo & tuo potu anima nostra reficitur. Ais enim, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et quoniam vita es, in

Ecclesi. 24.

Psal. 4

Psal. 80.

Psal. 22.

Ezech. 16.

Psal. 22

Psal. 147.

Iohã. 6.

Ibidem.**Apoc. 7.**

te manentes, teque in nobis manentem habentes, viuimus in æternum. Quamobrem subiungens, inquit, Si cut misit me viuens pater, & ego uiuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Reliquum est vt sic viuendo beatitudine fruamur perpetua & æterna. Idcirco vt illam nobis conferas, mones & ais: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater signauit deus. Et iterum: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Ad beatos ista pertinere, etiam Apocalypsis docet, vbi dicitur: Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Quas ergo tibi gratias benignissime domine pro tam immenso munere agemus? quæ præconia, quas laudes persoluemus? Nihil aliud a nobis exigere videris, quam ne polluto ore tua dona contaminemus. At hoc etiam, nisi te imbecillitatem nostram adiuuante, præstare nequimus. Tu ipse igitur, qui tam liberaliter ad epulas tuas nos inuitas, da vt semper ad illas digni veniamus, vtque tua carne ac tuo sanguine cum quantâ conuenit mentis & corporis puritate reficiamur, quodque ad memoriam tuæ passionis & nostræ redemptionis constituisti, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, præsta vt quædie ista meditantibus, nullo die, nulla hora, nullo temporis momento obliuiscamur tui.

¶ In eos qui sacramentum male sumunt. Cap. XVIII.

Cum igitur tanti emolumenti sit tantæque felicitatis, vero pane ac vero potu isto vti, nonne miserii sunt & infelices, qui vel indigni ad sumendum accedunt, vel omnino sumere contemnunt. Indigne autem accedunt, qui poenitentiam peccatorum, vt debent, non egerunt, nec satis diligentes in confitendis reatibus fuere,

neq; ab omnibus continendi sese propositum habent. Si conscientia tua te accusat, cur pollutus agni purissimi carnem gustando inquinatus? Non culpam sic agendo diluis, sed grauas, & in maximum te præcipitas scelus. Audi apostolum dicentem: Quicumq; manducauerit panem, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Quid est reum esse corporis & sanguinis domini, nisi illis fieri similem qui saluatorem contumelijs affectum crucifixerunt? Verbis illi petulantibus insultabant, tu gustu temerario offendis: flagellis illi percutiebant, tu manibus immundis contrectando violas: crucifigebant illi, tu quotidie peccatorum tuorum aculeis contodere non dubitas. Illi saltem vt honeste sepeliretur permiserunt, tu in foueam feculenti pectoris mundissimum dominum præcipitas. Quamobrem ipse idem in Malachia propheta de talibus conqueritur, dicens: Ad vos o sacerdotes, quod despicitis nomen meum, & dicitis, in quo despexit nomen tuum. In eo quod offertis super altare meum panem pollutum. Et dicitis, In quo polluimus te? In eo quod dicitis, Mensa domini despecta est. Offerimus panem pollutum, quoties impuris manibus oblationem sanctam contrectamus: & licet illa pollui non possit, nobis tamen nostra imputatur nequitia. Mensam autem domini despectam esse dicere videmur, quoties ad eam contemptim temerarieq; accedimus, quasi ad corporis communes epulas inuitati, non ad animæ alimentum singulare. Si ergo mundari se aliquis ita credat & pro delicto satisfacere, vehementer fallitur. Immundior enim efficitur ipsa confidentiæ temeritate. Vnde per Ieremiam prophetam a domino arguit, dicente, Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas? Profecto (vt diximus) non solum non auferent, sed etiã addent, immo si is q; talia præsumit, penitentiam non cogit.

1. Cori. ii.

Mala. i

Jeremi. ii.

2.Reg.5.

2.Para.3.

rit, indies deterius labetur, fietque imbecillior atq; debilior diuina ope penitus destitutus. Proditum est in annalibus regum Iuda, quod Palæstini arcam testamenti captam, Azotū detulerint, & in templo idoli Dagon collocarint, protinus corruisse simulacrum dicitur, & capite ac manibus fuisse truncatum. Azotios quoq; graui admodum valetudine laborasse, donec Israelitis arca fuit reddita. Arca ista typus Christi erat, cuius corpus qui indigne contrectat, Palæstinus est; qui in gulā male affectam mittere non metuit, in templo Dagon illud collocat. Corruet igitur ipse & confringetur, truncum fiet inutile capite ac manibus carēs, quoniam neq; cogitare neq; facere poterit, quod ei prodesse queat ad salutem. & cum ad bene agendum nihil sibi supererit virium, cum Azotīs ægrotabit, donec agat pœnitentiā, seque restituat sibi, & pro crimine satisfacere incipiat: quoniam neque tam nequiter delinquenti denegatur locus pœnitentiæ. Habetur enim in Paralipomenō libro, quod magna populi pars non sanctificata, comedere phasē ausa fuerit, sed cum se peccasse dolerēt, & Ezechias pro eis orasset, placatus fuisse dominus dicitur. Tibi quoque, cui nunc iratus est, proculdubio placabit si te peccati pœnituerit, veniamq; fueris precatus. Omnibus patet ad deum reditus, & reuertēti misericordīa denegatur nemini. Quod si redire neglexeris, & in aliquo flagitio pertinaciter perseuerans, ad sancta sanctorum non timueris accedere, diabolo ad te possidendum perdendumque, aditum aperies. Nā de Iuda quoque scriptum est, quod post buccellam satanas in eum introiuit; Atque ita ille maligna suggestionē superatus, maturauit scelerate perficere, quod impie cogitauerat; & qui dominicam cœnam ore sacrilego delibare p̄sumpsit, factus est dñi proditor. Hunc si imitari in gustando sacramento perges, nonne etiam tibi dicere poterit dominus? Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. & Væ homini illi per quem filius hominis tradetur? Tradidit illum Iudas impijs Iudæis, tu eundem tradis tibi impuro. Hanc ob rem nisi te correxe-

ris, pœnitentiamque egeris, ac pro tanta tua temeritate fleueris, acerbissimas quidem & nullo fine concludendas, in inferno pœnas dabis. Sic enim in Leuitico scribitur, Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est domino, peribit de populis suis. Petiit & Oza infelix, qui prophanam manum arcæ sanctæ, licet labētī, supponere fuit ausus, percussit eū dñs, vt ait scriptura, sup temeritate, & mortuus est. At que vt apertius intelligas distantiam digne & indigne ad sacrosanctum libamen accedentium, disce quid in Isaia scriptum sit: Hæc dicit dominus deus, inquit: ecce serui mei comedent, & vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis; ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Quod si certum est, dānandos esse eos qui impœnitentes decesserint, quanto magis cum ad impœnitentiā accesserit temeritas indigne communicandi?

Leuit. 7.

2. Reg. 6.

Isaia. 66.

¶ In eos qui sacramentum sumere excusant.

Caput XIX.

CAeterum non fortasse minus peccant illi, quibus tametsi vereantur polluti accedere, magis libet abstinere, quam operam dare ac mereri vt digne accedant. Timent scilicet domino communicare, & eiusdem minas imperterrita aure excipiūt. Ait enim Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinē eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Verentur itaque diuinis libamenti vesci, & in peccato perseverādo deum offendere non verentur. Communicate quidē non debent, nisi rite atque ordine præparentur, sed præparata eos oportet, vt communicatione digni habeantur. Alioquin & indigne accedens perit propter temeritatem, & accedere nolens damnatur, propter se se corrigendi negligentiam. Quid enim prodest Christum honorare, dum te indignū iudicans, corpore eius

Iohan. 6.

& sanguine abstines, si peccato non abstineas, quo ipsum ad iracundiam prouocas, & prudens ac volens te illius conuiuio indignum præstas? Omnes certe indigni sumus, cum nemo sit qui non peccet, nemo cui cum Centurione in Christum credente dicere non conueniat: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. In eo tamen digni censemur: si penitentes, si confessi, si humiles accedimus. Talem cum te iam esse noueris, accedere ne dubites: ab illo inuitaris, qui omnes conclusit sub peccato, ut omnium misereatur. Talis cum accesseris, mundaberis, continentior constantiorque efficeris. Dentque tu temet longe alium, quam quæ fueras, esse senties. At vero si etiam rite præparatus communicare nolueris (vide quantum tibi incommodi inde oritur) vitam in te non habebis. In morte ergo eris quid nisi? Si vetus quoque lex id testetur, dicens: Si quis & mundus est, & in itinere non fuit, & non fecit penitentiam, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit. Tam lege igitur quam euangelio ut Christo communicare compelleris, id ipsum in super ecclesie sancte edictum tibi confirmat: Qui pro sceleribus suis (inquit) duobus vel tribus annis non communicant, excommunicandi sunt, donec penitentiam agant. Valde etiam expauescenda est illa domini sententia in illos qui ad cœnam vocati, venire recusarunt, promulgata. Nemo (inquit) virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Quod ergo nunc inuitatus gustare negligis, postea cum maxime cupies, attingere non poteris. Tunc enim erit tempus iustitiae atque iudicii, nunc est misericordiae & veniæ. Præterea si isti qui flagitium alicuius conscientie sacramentum sumere perhorrescunt, damnabiles habentur, quid de illis dicemus, qui omnino contemnunt, & infidelitate quadam lapsi, illo sibi opus non esse asseuerant? De ijs quidem per Osee prophetam ait dominus: Super vinum & triticum ruminabant, & recesserunt a me. Illi ruminant super vinum & triticum, qui Christi sacramentum plena fide non suscipiunt: & dum dubitant, a Christo quoque

Num. 9.

Lucæ .14.

Osee. 7.

alienantur. Quomodo enim Christianus est, qui verbis Christi non præstat fidem. His in Isaiâ etiam iurat dominus in dextera sua & in brachio fortitudinis suæ, se non daturum ultra triticum neque vinum. Non enim possunt mereri gratiam fructumque sacramenti, qui vel dubi sumunt illud, vel increduli despiciunt, acrius tandem puniendi quam qui olim legalibus sacrificiis detraxissent, dicente Apostolo: Irritam quis faciens legem Moyfi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus morietur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Profecto qui non credunt, conculcant filium dei, non pedibus sed infidelitate, & sanguinẽ eius pollutũ dicunt non yborum platione quis enim adeo impius est, vt id audeat dicere, sed mētis infidæ auersione ab eo a quo redempti sunt, & spiritus sancto contumeliam faciunt, erga tanta beneficia ingrati & illiberales. Nos demum cum ab istorum perfidia qui eucharistiam nolunt admittere, tum ab eorum negligentia, qui imparati metuunt, tum denique ab illorum temeritate qui indigne accipiunt, abhorrentes omni sollicitudine curemus, vt credendo, vt penitendo vt domino in omnibus obediendo, ad tam salutare cõuiuiũ accedam⁹, in q̃ & præsentis infirmitatis certissimum est remedii, & futuræ beatitudinis perfecta gloria. Hastenus de eucharistiæ sacramento: ad quod quoniam ieiunium accedere solemus, non incongrue nunc de ieiunio disseremus.

¶ De ieiunio & refectione.

Caput XX.

Ieiunium videtur institutum præcipue aduersus carnis nostræ petulantiam, vt debilitatis corporis viribus turpium voluptatum in nobis lassescat appetitio: quæ certe si satis domita fuerit, expeditior prouentiorque erit via ad bene beateq; viuendum. Ieiunium igitur non ab re tam veteri quam noua lege commendat.

- Nume. 9. Moyses quadraginta diebus & totidem noctibus ieiunus permansit quoniam tabulas foederis digito dei scriptas accepit, quibus ob plebis impietatem confractis totidem dierum noctiumque repetito ieiunio alias tabulas impetrauit, atque deum ipsum populo qui peccauerat reddidit placatum.
5. Reg. 29. Elias propheta cum etiam ipse per dies quadraginta nihil gustasset ad montem dei peruenisse dicitur. Eundem postea dierum numerum saluator noster suo consecrauit ieiunio quod nos obseruare quidem ecclesiae edicto iubemur, quantum fragilitas nostra patitur semel in die comedendo praeter illos dies qui dominicae resurrectionis memoria festi feriatique habentur. Ieiunium autem tempore abstinemus carnibus atque lacticinis quod in his plus nutrimenti esse constat ad lasciuiae intimitamenta. Qui vero arctius ieiunant in refectione pane & aqua contenti sunt, alii abstinent. Sed virium habenda ratio est, atque ita ieiunandum, ut corpus non lasciuat & tamen ad vitae religiosae opera possit sufficere. Satius est orare in ecclesia, psallere, laudis sacrificia offerre, diuina discere vel docere, quam abstinentia nimia debilitatum, nihil horum posse praestare. His autem omnibus moderata ieiunia conferunt multum, plurimumque iuuamenti subministrant, Vnde quosdam vini usu se abdicare, vilioribusque cibis vitam sustentare minime piget. Abstinentiam semper fuisse filii Ionadab (ut in Ieremia est scriptum) & audiunt a domino: Non deficiet vir de stirpe IONADAB filii RECHAB stans in conspectu meo cunctis diebus. Fore se sapientiozem credidit SALOMON, si abstentius viueret: & cogitauit, inquit, in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam. Sacerdotes tabernaculum intraturi vinum & quod inebriare potest bibere lege diuina prohibentur dei enim ministros maxime sobrios esse conuenit. Illis etiam qui ex voto domino consecrabantur, quos Nazaraeos vocabant, preceptum erat ne vinum gustarent, neque quicquid ab vna fuisset expressum donec votum perficerent. Dan. Anania, Azaria & Misahel, cum Babiloniae captiui essent leguminibus, aliti &
- Iere. 35.
- Iere. 2.
- Leui. 10.
- nume. 6.
- Ezech. 44.
- Daniel. 1.

aqua potati habitiores apparuerunt cæteris, qui vino regisque epulis nutriti erant. Iohanni Baptiste in deserto locustæ & mel sylvestre cibus fuit, vinum et licerã non gustauit. Paulus apostolus Timotheo discipulo scribens monet, ne aquam biberet, sed modico vino vteretur. Ne quis autem gulæ suæ fauens apostoli patrocínio se defendat, hic qui ab aquæ potu cessare iubetur ægrotabat. Noli adhuc aquam bibere (inquit) propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates, sed modico vino vtere, hoc est, non multo ad luxuriã sed modico & aqua diluto ad languidi corporis iuumentum. Nemo tamen nefas putet vel carnibus vesci extra ieiunium, nisi votum obstet, ne in Hebionitarum incidat hæresim; vel etiam ieiunando vini usum damnet, ne ipse cum Tattano Encratidarum autore damnandus iudicetur. Nam dominus & saluator noster his usus est, vt euangelistæ testant, & in Chana Galileæ ad nuptias, & Hierosolymis quando pascha cum discipulis celebravit. In quo ostendere voluit, nullum crimen esse si quis his vtatur, nisi cum ecclesiæ interdictum vel voluntarium impediatur votum. Quisque ergo aut carnis usu, aut vini potu, aut vtroque sponte se abdicat non quia non liceat his vti hoc agat, sed quia iuuat, pro peccato satis faciendi gratia, corporisque castigandi, vt lasciuiat minus & contra spiritum rarius insurgat. Hac de causa plerique vili admodum victu contenti cibaria delicatiora sibi submouere. Ruth mulier, quæ in genealogia Christi censeretur meruit, cum a Booz satis diuite viro hospitaliter acciperetur panem in aceto intinctum comedisse dicitur aquam potasse fuisseque saturatam, adeo tunc locupletiorum quoque mensa luxuria carebant. Panibus viginti hordeaceis Elias centum viros memoratur satiasset reliquasque collegisse. Credimus etiam ipsum tali cibovsum fuisse, qualem alijs apposuit, cui ergo miraculorum operatio concessa fuerat, eum hordeo vesci non piguit. Ezechiel vt famem futuram partim verbis, partim re atque opere nunciaret, frumentum hordeum, fabam, lentem, milium, vitiam, per dies centum quadra-

1. Tim. 5.

Ruth. 2.

4. Reg. 4.

Ezech. 4.

ginta comedere iubetur; aquam potare. At nos fabam ipsam respicimus tanquam Pythagoræ, non Christi discipuli, nos triticum nisi in similitudinem redactum fastidimus & vana delicia conquirimus, nulla in parte sanctis prophetis istis comparandi. Sed etiam Iohannes plus quam propheta, in matris adhuc aliud sanctificatus, non pepones esitavit, sed locustas, nec vinum gustavit, sed haustas de Iordane aquas. Non grauabunt nos ieiunia nostra, si sanctorum parsimoniã cogitabimus, vt saltem imitari eos non pigeat, quos æquiparare nequimus. Apostoli quoque domini spicas manibus conterentes esuriam sedant, neq; ab hordeaceis abhorrent quos etiam alijs apponere iubentur, cum turbam saturavit dominus: & tunc quidem quinque tantum panes habuerunt, quod nec ipsis qui duodecim erant sufficere potuisset. Vtq; apertius quanta illis cura cibi esset intelligas, cum conscensa nauis trans fretum irent, obliti sunt (vt in Math. legitur) secum panes deferre. Qui enim diuinæ contemplationis dulcedine quotidie satiantur, vix ventri suo tunc prouident, cum esurire coguntur. Parandi autem victus nimiam sollicitudinem dominus quoq; extenuat, cum ait: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, sed quærite (inquit) primum regnum dei & iusticiam eius, & hæc oia apponentur vobis, nequem ergo ad dei seruitutem retardet iopix metus, his domini verbis confirmatus in illo spem collocet, non tamen otio & ignauia sese dedat, laborantes ille adiuuat, non desides neque somnulosos, & quoties hominis industria quantum necessitati satis est nequit parere, ipse suppeditat. Agar cum filio per desertum errans cum vehementer sitiret, angeli indicio puteum comperit, & inde hausta aqua se & puerum a pernicie seruauit. Samson Nazareus, cum & ipse siti enectus clamasset ad dominum, egressis de molari maxillæ asinæ aquis seruaatur, Elias in torrente Carith latens, deo procurante a coruis pascitur. Cum per deserta Idumæ arida arenosaq; ducerent exercitum Achab & Iosaphat

Iohan. 6.

Math. 16.

Iudicij. 15.

1. Reg. 17.

4. Reg. 3

reges aduersus Moabitas, & siti plurimum laborarent, excauarunt scrobes, quæ orante Eliseo aq̄s repletæ multitudinem ab imminente periculo liberarunt. Oñi quoque cum ab Aegypto Moyle duce Hebræi ad terram, p̄missionis pergerent, manna de cælo esurientibus, aquæ de petra erumpentes remedio sitientibus fuere. Et si deus nunquam defuit, ne delinquentibus quidem turbis, ob eius merita qui illis præerat, quanto minus defuturus est ei, qui relictis omnibus ipsius sese dedicat seruituri? Recte itaque a psalmista est dictum, Junior fui et senui, & non vidi iustum derelictum nec semen eius quærens panem. Et alio psalmo, Oculi omnium in te sperant domine & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Et alibi, Ecce inquit, oculi domini super timentes eum, & in eos qui sperant in misericordia eius vt eruat a morte animas eorum, & alar eos in fame. Denique abundant qui seruiunt mundo & tu egestatem times seruans deo? Pascit ille volatilia cæli, & te quem ad suam similitudinem facere voluit non pascet? lacta igitur, vt propheta ait, cogitatum tuum in domino, et ipse te seruet. Quod si tibi ieiunia placebunt, de quibus nunc loquimur, modicus & tenuis victus tibi satis erit, sin vero gulæ ventrique seruias, nihil erit satis.

Quale debet esse ieiunium,
& quæ eius virtus
Cap.

Quale aut debet esse ieiunium docet saluator in euang. c. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, demoluntur enim facies suas, vt pareant hominib. ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non vere tristem esse prohibet ieiunium enim proprie pœnitentium est dolentiumque pro peccato q̄d commiserunt, sed simulare tristari vetat hypocritarum more, qui omnia ad iactantiam faciunt, vt hominum rumusclos aucupent, dum

psal. 36.

psal. 34. 4a

psal. 32.

Matth. 6.

- sancti dici quã eẽ malũ. Ideo nõ veræ græ cui adipiscẽdã non student sed inanis ad q̃ se toros componũt mercedem recipiunt. Tu aut̃ cum ieiunas (ingt) vnge caput tuum & faciem tuam laua ne videaris hominib. ieiunãs sed p̃ri tuo qui est in absconso, & pater tuus qui videt in absconso reddet tibi, non delibutũ vngentis te incedere p̃cipit, qđ luxuriæ vitium est, sed quia caput tuum Chfus est pasce esurientem, vesti nudũ et caput tuũ vnxiſti, ait em̃, qđ vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis. Deinde macũlas aĩæ tuæ penitudinis fletu abluc, et faciem tuã lauasti atq̃ non hominibus ieiunare videberis sed deo Tale habetur illud de quo in Isaia clamãtem audimus dũm Hoc est ieiuniũ quod elegĩ, dissolue colligatiões impietatis solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui contracti sunt liberos, & oẽ onus dirumpe frange esurienti panem iuũ & egenos vagosq̃ induc in domũ tuã cũ videris nudũ operi eũ & carnem tuã ne despexeris hoc est quod dolo interuerteris redde inopem ære alieno opp̃ssum libera, cibũ quem ieiunãdo tibi subtrahis da indigenti aduenam suscipe hospicio pauperis nuditatem tege nec contemnas quia tua caro est p̃æsertim si in Chfõ tecũ regeneratus est vnũ habetis patrem deum vnũ caput Chriſtũ, vnũ corpus ecclesiam hoc igit̃ erit ieiuniũ electum piũ, fidele sanctum de q̃ Iohel propheta dicit, S anctificate ieiunium. Non enim sufficit cibi abstinentia nisi & a peccatis abſtineamus & pijs actionibus exerceamur, nosque in omnibus fideiſynceritate sanctificemus. Cauendum quoque est ne ieiuni contemnamus non ieiunantes, fortasse innocẽtiores absque ieiunio, quã nos cum ieiunio. Apostoli p̃ceptũ est, Qui nõ manducat manducantẽ non iudicet, Male ab alimentis abſtinet, qui a detractiõne proximi linguam non coerces. Ieiunium non superbiæ opus esse debet, sed humilitatis. Qui ieiunando superbit, phariseorum imitator est, & eorũ qui Chfũ adẽtes dixerũt. Quare nos & pharisæi ieiunamus frẽq̃nter, discip̃ aut̃ rui nõ ieiunãt? Si vis igit̃ vt ieiuniũ tuũ deo gratũ sit,
- Isaia. 58.**
- Iohel. 1.**
- Roma. 14**
- Matth. 9.**

nihil tibi ita arroges, vt alijs detrahas, alios suggilles, sed operam da vt cum P salmista dicere possis, In ieiunio humiliabam animam meam. Porro ieiunium ipm quantæ virtutis sit, quantique emolumentum, exempla in scripturis diuinis relata testantur, Esdras sacerdos cum a Chaldea dimissus Hierosolymam rediret, triduo cum suis ieiunasse, precesque p itinere obrulisse dicitur, vortique compos factus fuisse. Iosaphat rex Iuda viribus i par ieiunio & oratione superauit inimicos. Iudith vidua eisdem armis munita, Holophernem Assyriorum ducem interfecit. Et Iudas Machabæus ingentes gentiliū exercitus post triduanum ieiunium parua manu aggressus, profligauit. Præterea Christus dominus per dies quadraginta nihil gustando, diaboli tentamenta vicit & cum dæmoniacum surdum ac mutum curasset, hoc dæmonium inquit, non eicitur nisi in ieiunio & oratione. Prodigus filius qui bona scortando luxuriandoque abliguerat, tunc ad patrem flagitii sui pœnitens rediit cum esurire cœpisset. Deus Iudæis placari paratus per Iohel clamabat, Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & Niniuitis ieiunantibus pepercit, quosque minatus fuerat se funditus euersurum, seruauit. Danieli ieiunanti & oranti, Christi venturi mysteria reuelantur. Ieiunium ergo peregre proficiscentibus iter prosperum impetrat, contra hostium vim præualet, dæmonum malignitatem contundit, obscenæ libidinis cupidinem coerces, deum placat, veniam exorat, mentem ad cælestia erigit, postremo per ieiunium, atque abstinentiam, ad cælestem vsque beatitudinem peruenitur. Beati (inquit) qui nunc esuritis, quæ niam saturabimini. Et in Ieremia ait, Inebriaui animam lassam & omnem animam esurentem saturauit. Hæc est illa saturitas, quam se consecuturum sperabat Dauid cum diceret, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Sancti enim qui se quondam ieiunijs affixerunt, non esurient amplius (vt Isaias ait) neque sitient, & non percutiet eos aestus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et in Apocalypsi dominus, Ego

Psal. 34.

2. Esd. 8.

2. Par. 20.

Iohel. 2.

Daniel. 10.

Lucæ. 6.

Iere. 3.

Psal. 31.

Isai. 40.

Apo. 11.

4. Reg. 4.

inquit sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Igitur tu es ille domine, qui esurientes & sitientes tuo solo aspectu satias, tu panis indeficiens, tu fons viuus. Tu da vt tibi placeant ieiunia nostra, vt cum placuerint, a te tandem tua dulcedine sariemur. Non erit molesta inedia, quam spes eiusmodi futuræ saturitatis consolabitur. Tu es farina illa Elisei, qui vel amarissimum ieiunij nostri pulmentum vertis in dulcorem. Omne onus laborum nostrorum leuas istius, quam in te fiximus, spei suauitate. Itaq; & cum ieiunamus, tibi ieiunamus: & cum reficimur, tibi gratias agimus: & postquã refecti sumus, te laudamus; quod vt nos doceres, te quæque fecisse meminimus, quando pascha cum discipulis celebrares. Confitemur enim & quod ieiunamus, & quod reficimur, tuum esse beneficium, non nostram virtutem: tuæ largitatis donum, non nostrum meritum. Post ieiunij refectionisq; dissertationem, cõsequens est, vt gula vitium quam detestandum sit consideremus.

De vitio victum delictiorem exigentium. Cap. XXII.

Gulositatis indicium est, in mensa minus lauti apparatus monachi accumbentis mussitatio. Licentioris igitur gulæ sunt, quos non pudet, cæteris in silentio confidentibus, corrugare nares, frontem contrahere, os distorquere, & gestu nutuq; ipso vel de cibo, vel de potu conqueri. Hic fastidit legumina, ille minutos pisciculos contemnit, alius olera aspernatur, alij cibarius panis odio est, alium vini austeritas offendit, quod si acescere ceperit, stomacho noxium argumetur, & frigorificum esse medicorum testimonio probare nititur. Eo interdum impatientiæ quidam procedunt, vt suis præpositis insultent delictiorem exigentes quam quibus illi contenti sunt. Carebit hoc vitio, qui eorum vitam victumq; persæpe considerabit, quos deo constat placuisse, memoriterq; tenebit, quid illi in solitudine degentes esitarint, quidue potarint, quibus (vt Hieronymus ait) coctum aliquid accepisse luxuria

videbatur, qui etiam languētes aquam frigidam, sicut de fonte hausta erat, bibebant, ac tam procul a vino quā ab vrbibus aberant. Nunc tanto magis deo fruuntur, quanto continentius vixerunt. Rursum pensitare proderit, quantum deliquerant illi, qualiterque a deo multati sint, qui ob gulæ incontinentiam in Moysen murmurauerunt. Profecti ab Aegypto ibant cum illo per solitudinem: & cum esurirent, manna de caelo pluente aliti sunt: & cum sitirent, aquis de petra eductis potati. Deinde postquam manna contempto Aegyptias dapes concupissent, coturnicum vis ingens castra operuit: quorum carnibus ad nausēam vsque satiati, malæ concupiscentiæ proteruæque murmurationis, qua & deū & Moysen ducem suum offenderant, pœnas dedere. Nam ut in psalmo dicitur: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. Nemo igitur sibi tutū putet, non contentari his, quæ deo largiente in monasterio habentur, vel ob hoc patres incusare, quod ipse minus copiose abundet, cum necessaria suppetant. Paupertatem professus es, & copiam exigis? obedientiā voluisti, & maioribus audes esse molestus? quid amplius quæres in seculo, quam quod concupiscis in monasterio? Si monachi geris indumentum, cur dissimilem habes effectum? Memento quia religionem ingressus es, ut deo seruias, & ventri seruire desinas. Nunc de illis dicam, quos ieiunij grauat observatio, qui vel male ieiunant, vel omnino non ieiunant.

Psalm. 77.

Psalm. 77.

De vitio male ieiunantiū. Cap. XXIII

MAle ieiunantes arguit dominus, dicens: Cum ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Non enim domino ieiunant, qui exquisitis dapibus poculisque mensam opimant, & non corpus affligere, sed gulæ blandiri studēt. Non deo ieiunant, qui ab escis tantum se continent, & vitia non derelinquunt. Non denique deo ieiunant, qui ieiunio se satisfacere putant, & dei præcepta implere negligunt.

Zacha. 7.

L

Quid enim prodest corpus tenuare abstinentia, & prauas cupiditates ab animo non euellere? Si sic ieiunas, non Christum imitaris, sed diabolum, qui certe neque comedit, neque bibit, & tamen nunquam a sua peruersitate resipiscit. Sicut nec illi, quibus lamentantibus, quod ieiunando calamitatem negrent auertere, deus rñdit. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros reperitis, ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Sicut ergo aurum luto sordidatum non splendet, ita nec ieiunium efficax est ad deum placandū, si vitia non cessant.* Ob hoc sane ad Ieremiam clamat dominus, Noli orare pro populo isto in bonum. Cū ieiunauerint, non exaudiā preces eorum, & si obrulerint holocausta & victimas, non suscipiam ea. Quod si propter vnum Ionatham, q̄ contra Saulis patris interdictum panis mellis gustauerat, deus iratus non dedit responsum, quomodo eum exaudiet, qui suae ecclesiae iussa contemnit.

*Isa. 63.**Jerem. 14**1. Reg. 14*

De vitio ieiunare nolētium, ventriq̄ indulgentium, Cap. XXIII.

Quamuis autē aliquis in voluptatibus flagitiosaque p̄seueret & obduret, si tamen cū iubetur ieiunat, futurae emēdationis nonnulla spes est. Non est enim in illo penitus extinctus dei timor, qui vel hac vna in re formidat non obtemperare. Sed quid de illorum obstinatione sperare licebit, qui cum nihil boni agant, ne ieiunare quidem volunt, & dum gulae indulgent, indictam quoq̄ ab ecclesia abstinentiam irident? An ignorant quod ecclesiae mandatum, dei mandatum sit? dicente domino. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & q̄ me spernit, spernit eū q̄ me misit. Dum igitur ventri suo quam deo nostro malunt obedire, deus eorum venter est, quod hic suadet, id sequitur, quod autem deus noster iubet, contemunt, neque eos puderet gulae suae fieri mācipia, cuius dños esse conuenerat. Quid tandē, impune ne id sibi futurū sperant, q̄d nulla re impediti nisi gulae vitio, ieiunare ne iussi qui-

Luce. 10.

dem volunt? Sed si viro dei misso in Bethel, cui mandatum fuerat, ne quid ibi gustaret donec redisset, semel perterisse mandatum non fuit impune, quomodo hi non punientur, qui nunquam parent? Ille sedens adhuc ad mensam, a domino sibi dictum audiuit: Quoniam non obedisti sermoni meo, non infereris in sepulchro patrum tuorum. Cumque rediret, a leone in via oppressus occiditur, & ab hominibus ibidem tumultatur: & hi qui assidue peccant, nullo prorsus ieiunantes die, ne scilicet si quando non cœnent, inedia extinguantur, dei vindictam non verentur? Ille quidem ab altero deceptus, prædium cum ipso inest, ignoranterque peccauit, & talia passus est. Hi vero cum scientes volentesque delinquant, nihil supplicij sibi infligendum arbitrantur? Cur ergo, inquiunt, leonis moribus non laceramur? Quibus respondendum est, quia non estis viri dei sicut ille, qui leui mortis genere proreatu satisfecit, ut spiritus saluus fieret: sed estis serui diaboli. Atque ideo non syluestribus feris laniandi tradimini, ut postmodum infernalibus bestiis proiecti, penas luatis acriores. Non enim aqua vel similis puniendi ratio iustos & iniustos, pœnitentes & obduratos. alteris temporaria debetur animaduersio, alteris æterna. Quidam ita gulæ ac ventri dediti sunt, ut ne tempus quidem comedendi obseruent, prandia præuenire soliti ientaculis, cœnas merendis. quorum immodestiam Salomon arguit dicens: Væ tibi terra, cuius rex puer est, cuius principes mane comedunt. Corrupti enim reliquos exemplo, qui magistratum adepti turpiter viuunt. Econtrario autem frugalis vita præsidium, omnibus continentiae lex est, & virtutis incitamentum. Ideo consequenter dicitur: Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Profecto non hominum, sed pecudum vita est habere incerta comedendi tempora, passimque pasci, quasi qui nunquam satientur, & edaciores idolo Bel bibacioresque existant: si tamen idolum illud tantum in die consumpserit, quantum mentiti sunt eius sacerdotes: hoc est, similia artabas

Prou. 10.

Daniel. 14

- duodecim, oues quadraginta, vini amphoras sex. Sed tamen potatus huius atque abliguritionis intemperantia tolerabilior foret, si rerum solummodo iacturam inferret, & non etiam corporis atque mentis. Hela Samariae rex cum se vino ingurgitasset, Zambri serui insidias caue re nesciuit. Itaque sibi vitam, posteris regnum amisit seruo illud occupante, prole quoque domini sublata. Balthasar Chaldaeorum rex quod die vasis, quae de templo Hierosolymitano sublata fuerant, in celebri conuiuio perpotauit, eodem occisus est, sacrilegioque addita ebrietatis finem vitae fecit. Holophernem Assyriorum ducem, qui viris armisque tam potens fuit, ut quocumque se verteret, urbibus, prouincijs, regnis terror esset, epulis vinoque grauem vnus foeminae manus interemit, & quem vincere externorum vires non poterant, crapula victus tantum ignominiosa nece perijt. Vis insuper nosse quam turpis quamque perniciofa res sit ebrietas? Noe primus vineam plantauit, vinoque infatuatus pudendis detectis iacuit indecore, ita ut vni ex filijs risum moueret. Loth autem inebriatus incestum commisit, & de filiarum concubitu liberos suscepit, ignarus quoniam essent illae cum quibus concumberet, neque fortasse quid ageret, cum inter dementem & ebrium nullum discrimen sit, nisi per alter altero facilius curetur. Tutius est autem secretum aliquid committere stulto quam ebrioso; neuter scit arcanum celare, stulti tamen verbis nemo adhibet fidem, ebrio magis creditur. Ad haec inter compotantes frequenter leuissima de causa exurgunt rixae, concertationes, vulnera caedes. Vnde Salomon in prouerbis ait: Qui dimittit aquam, id est, qui mero vino utitur, caput est iurgiorum; & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit. Cui sententiae congruit, quod in Osee propheta legitur: Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. Cum autem sola ratione distemus a brutis, ea sublata, quid reliquum est, nisi ut bestijs annumeremur, & amisso corde, vecordes excordesque. id est dementes dicamur & similes. Teterrimum est in vita tale notari pati, sed longe in felicius vita mox defunctos ad aeterna destinari. suppli
2. Reg. 16.
- Danic. 5.
- Iudith. 13.
- Gene. 9.
- Gene. 19.
- Prou. 17.
- Osec. 4.

cia. Apostolus enim ad Corinthios scribens, affirmat, quod ebrii regnum dei non possidebunt, cum damnatis ergo computabuntur. Nam hi soli sunt, quibus nulla ex eundi de carcere spes est. Idcirco alibi idem horratur, dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. hoc est, vino quod gulæ blanditur, & impudenter lasciuire cōpellit. Quamobrem etiam dominus ita affectos ad pœnitentiam reuocat per Iohelē prophetam, & ait: Expergiscimini ebrīi & flete & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine. Pœnitere autem nolentibus per Ieremiam minatur dicens: Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. Gladius hic iustitia dei est, quæ breuissimam vitæ huius voluptatem vno ictu mutat in pœnennem amaritudinem. Hoc ipm idem dominus etiā in euangelio testatus ait, Si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit dominus meus venire, & ceperit percutere conseruos suos, manducet autē & bibat cum ebriosis, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis illic erit fletus & stridor dentium. Vbi sunt qui pœnæ dilationem impunitatem rati licentius peccant? Non pœnam peccatorum remittit iustus iudex, sed conuersionem expectat misericors dominus. Quo diutius sustinet, eo acerbius in obduratos animaduertet, fletum irrogabit pro risu, pro gulæ oblectamento dentium stridorem. Quæ supplicia tunc demum futura quidam dicunt, cum in fine sæculi hominum animæ suis iūctæ corporibus fuerint. Ego vero etiam ea significari reor, quæ tunc erunt impio, cum primum diuidi eum a corpore contigerit. Non quod animæ dentes osscos, aut oculos habeant carnales, sed quod inter viuentes acerrimus dolor sit, qui hominem flere & dentibus inter se collisis stridere cogit. Vt ergo intelligas pœnarum grauitatem quæ sunt in inferno, per eius pœnæ similitudinem tibi loquitur, quam in hac vita grauissimam esse non ignoras. Hæc autem consuetudo est diuinæ scripturæ, ut spiritalia quæ non intelligimus, per cor-

Iohel. 1.

Ierem. 25.

Matt. 24.

porea quæ nouimus, nobis insinuet. Maxima enim summaque esse, & in paradiso gaudia, & in inferno supplicia credendo confitemur, quanta autem vel qualia sint fando explicare nescimus, & si maiora sunt quam dici queant, omissis omnibus hæc sola cauere sola illa maxime expetere debemus.

De remedio crapulæ.

Cap. xxv.

IGitur quoties tibi in conuiuio esse cõtigerit, ubi & uina pretiosa & sapidæ exquisitæque dapes proponantur, ne talium dulcedine captus ad intemperantiam declines, cogita quanto dulcius iucundiusque sit deo frui, quam istis obrui. Rursum cum tibi molesta esse cõperit abstinentia, mente reuolue, quanto molestius sit in inferno torqueri quam hic uentri multa exigenti modica tribuere. Ira enim & quæ grauant æquo animo pferes, & ab ijs quæ pernitiola suauitate demulcent, prudenter cauebis, hortante præsertim domino ac dicente: Attendite autem uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula & ebrietate & curis uitæ huius & superueniat in uos repetina dies illa. Horum profecto quæ tibi proponimus modo, si memor fueris iam cautior continentiorque factus neque cum filiis Heli carnes de cacabo rapies, ne deum offendas & morte mulcteris; neque cum Esau pro edulio lentis primogenita tua uendes ne patris benedictionem amittas: neque cum Israelitis iurulentias Aegypti concupisces, ne in deserto intereas & ad terram promissionis transire non possis: neque cum Adamo & Eua ieiunij tempore ueritos cibos attinges, ne de paradiso eiectus miserijs obruaris. Immodicæ autem comestationis potissima mala sunt, quod futurorum bonorum quæ in deo sunt cogat obliuisci, dũ præsentibus delinit ac blanditur dicente domino. Cum comederint & saturati crassique fuerint conuertentur ad deos alienos & seruient eis, quod etiã castitati aduerset, & in libidinem pronos reddat: de quo in Ieremia conuenitur deus, & ait, Saturauit eos & merchati sunt, &

Luca. 21.

1. Reg. 2.

Gene. 25.

Exo. 16.

Gen. 3.

Deu. 31.

Iere. 5.

in domo meretricis luxuriabatur, equi amatores in fe-
 minas & emissarii facti sunt, vnusquisque ad vxorem
 proximi sui hinniebat. Et in Ezech. Ecce (inquit) hæc Ezech. 16.
 fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abun-
 dantia & otium ipsius. Quanto igitur melius penuri-
 am pati & continentia virtute abundare, quam copia
 rerum affluere & turpis luxuriæ sordibus inquinari.
 Quanto præstabilius obseruandis ieiunijs operam da-
 re. & abstinentia superbiæ fastumque contundere, quæ
 crapula inflatum neque bonorum neque malorum quæ
 futura sunt meminisse, & a deo recedere. Quod crimen Amos. 6.
 illorum fuit, in quos per Amos, prophetam exclamat
 deus: Væ vobis qui opulenti estis in Sion & confiditis
 in montem Samariæ, optimates capita populorum in-
 gredientes pompaticè domum Israel. Quod hic de opu-
 lentis in Sion est dictum vtinam de opulentis Christia-
 næ ecclesiæ dici non possit, ne quis nouus Nabuchono-
 sor merito in illos irruat, & peccatis ita exigentibus
 aurum argentumque omne diripiat, & ad suam cuncta
 transferat Babilonem quæ nunc non in vsum rei diuinæ
 sed magis in opera diaboli verti solent. Hoc est in po-
 pinas ganeasque & obscenam corporis voluptatem lu-
 xumque vitæ cito finiendæ. Quicquid tamen futurum
 sit, hoc nobis relinquitur solatijs, quod licet vrbes re-
 gnaque destruantur, ipsa Christi religio, nullis homi-
 num viribus poterit aboleri. Quâuis cuncta defecerint,
 illa cui neque portæ inferni præualere queunt, non de-
 ficiet, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides no-
 stra. Quæ si obteri vnquam potuisset, prius (vt egedem
 reor) pedibus multorum qui præsunt, quam eorumque
 persequuntur, obruta fuisset. Plurimi quippe ideo cle-
 ricatum profitentur, & ecclesiasticas ambiunt dignita-
 tes, vt ditentur, & cum ditati fuerint vt delicijs volu-
 ptatibusque fruantur, quibus in euangelio respondet do-
 minus, Am̄ amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis Iohan. 6.
 signa sed quia mâducastis ex panibus et saturati estis. Et quæ-
 ritiam voluptariam vitam æterni supplicij dolor sequitur, vt
 eadem dicitur, Væ vobis qui saturari estis, quia esurietis. Lucæ. 6.

De perseverantia virtutum. Ca. xxvi.

i. Cor. 9.

Gala. 6,
2. Thei. 3.

Pro. 31.

Cum autem omnis capeendarum virtutum labor in casum cederet, nisi ex p̄sidio perseverantia foret, hoc veluti opportuno dictarum dicendarumq; rerum loco eam inserere operæ p̄cium erit, vt qui hactenus digne laudabiliterque versati sunt, intelligant neque deinceps sibi cessandum, donec ad finem usque peruentum fuerit, qui enim perseverat usque in finem hic saluus erit. Ad perseverantiam nos hortatur Apostolus, cum ait: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis, Frustra enim præpeti fertur cursu, qui antequam metam attingat, victus lassitudine subli sit. Frustra bene cœpimus, nisi & bene finierimus. Naufragiū patiatur necesse est, qui quāuis recto cursu suisque ventis diu nauigarit, ante cum ipsa navi in Syrtib. vel in latentibus hæsit saxis, quam ad portum est perductus. Postremo neque fabri, neque architecti, neque cuiusquam artificis opus, nisi cum perfectum fuerit, iure ac merito laudari p̄t, tunc demum de illo probe prudenterque iudicatur, cum iam omni ex parte cernitur absolutum. Ita neque nobis proderunt sanctioris vitæ initia, si cœptis non responderit finis: si (vt quidam ait) mulier formosa superne destinat in piscem. Idcirco Apostolus: Bonum facientes (inquit) non deficiamus. Et iterum, Nolite deficere beneficientes. Audi quid præterea tibi Salomon sapientissimus de muliere forti, id est, anima constanti & in proposito boni honeste q; firma, in q; cor viri sui Christi domini confidit, nobis exponat ac prædicet. Reddet inquit ei bonū & non malū. Qui enim deū timet, qui que beneficiorum eius est memor, ne ingratitude arguatur, p̄ bono reddit bonum: & quoniam non est satis vel diu reddidisse, nisi semper reddas continuo subiunxit, Omnibus diebus vitæ suæ. Vis nosse talis animæ q; sit merces, Non exinguetur inquit, in nocte lucerna eius, non timebit a frigoribus niuis, fortitudo et decor indumen-

tum eius, et ridebit in die nouissimo, hoc est, cum potentissimi quondam reges nudi ac debiles ante tribunal iudicis ingenti timore trepidabunt, illa tunc in Christo exultabit & ridebit, iam certa de præmio ipso, de quo dicitur: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Opera utique in quibus perseverauit, in ipso paradisi ingressu extollant illam, & spiritibus angelicis beatorumque coniungant choro, ut quæ indefinenter deo seruiuit, iam indefinenti felicitate perfruat. Quis est, qui dum tantæ mercedis magnitudinem æstimat, laboris sui tædio afficiatur? & non potius semper se minus fatigari agnoscat, quam ut mereri possit quod sibi sperat. Attende igitur non solum ea quæ recepisti, sed etiam quæ promissa sunt, & demum in eo quod bene cœperis, perpetuo perseverabis, pariterque cum Zacharia sacerdote in euangelio dices: Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Lucæ. 1.

Primo quidem in fide perseverandum est, ne labescente fundamento, quicquid superædificatum fuerit, corruat. Nam sicut fides absque operibus mortua est, ita opera sine fide vana sunt, et licet temporaria mercede non fraudentur, æterna tamen remuneratio ne priuantur. Fidei autem perseverantiam Iohannes apostolus nobis commendat, dicens: Quod audistis ab initio, in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio & patre permanebitis. Dominus etiam in Apocalypsi, Esto fidelis inquit, usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Deinde in spe quoque perseverandum est, ut sicut per fidem, ita & per spem habitet in nobis Christus. Habemus enim Apostoli testimonium affirmantis nos esse domum Christi, si fideliā & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus, 1. Iohan. :

Postremo in charitate etiam assidue est versandum, quia deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Ab his ergo tribus virtutibus nunquam est cessandum, quia certissimum vinculum sunt, quo deo coniungimur & copulamur, nunquam ab illo recessuri, si in his vitam finire contigerit. Apo. 2
Hebr. 3

- virtutes nequaquam esse otiosas noueris, quem in deum credit, & in deo sperat, & deum diligit, hic quotidie agere studet, quicquid ei gratum acceptumque fore confidit. Ad fidem in oratione, semper patiens in aduersis, in omnibus dei mandatis perpetuo se exercens. Quantum autem in offerendis precibus perseverare prodest, testis est Chanaanæ mulier, quæ repulsa non recessit, despecta sustinuit: & dum suppliciter orando perseverat, facta est voti sui compos, dicente domino, Fiat tibi sicut vis. Testis est Barthimæus cæcus, cuius perseverans clamor oculos ei quos non habebat, impetrauit. Increpabatur ut taceret, tanto ille magis clamabat, Fili David miserere mei, ab hac precatione non cessauit, donec visum recepit. Testes sunt & Apostoli, de quibus est scriptum, Omnes erant perseverantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius. Denique testis est ipse saluator noster & dominus, qui ut precibus instare suo nos doceret exemplo, & pernoctasse in oratione dicit, & factus in agonia prolixius orasse. Quantum præterea ærumnas laboresque & cuncta seculi huius incommoda æquo animo semper tolerare iuuat, ipsi idem Christi discipuli nobis documento sunt, quibus ipse dixit, Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super meam meam in regno meo, & sedeat super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Ad hæc omnino necessarium est, si salui esse cupimus, ut in omnibus dei præceptis perseveremus, cauendo illa quæ verentur, quæ iubentur faciendo. Beatus est qui cum psalmita dicere potest, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Et iterum, Custodiam legem tuam semper & in seculum seculi, Difficile est profecto pro omni vitæ tempore eundem se præstare, & in nullo deficere. Quoties ergo aliquid diuerticula patitur fragilitas, quam cito fieri potest, ad iter ceptum redeat nondum peni-
- Matth. 15.**
- Mar. 10.**
- Actu. 1.**
- Lucæ. 6.**
- Lucæ. 22.**
- Lucæ. 22.**
- Psal. 118.**

tus labefacta virtus, ne longiore deuiatione aberranti
 bus vix vlla in viam redcundi potestas sit, postquam
 præsentium voluptatum delectatio vsum fecerit, vsus
 habitum, habitus naturam. Nec tamen si hoc accide-
 rit desperandum erit. Nihil est ita induratum, qd tun-
 dendo non infringat pertinax opera. Steriles campos
 assiduus agricolæ labor fœcundos reddit. Infructuose
 quoque arbores in pomiferas mutantur solerti insitio-
 ne. Displicere tibi incipiat, qd patre tuo relicto in regio-
 nem abierts longinquam, & ad reditum te para. Volen-
 ti atque conanti pieras aderit diuina, manumque porri-
 get, & te a malis liberabit ne pereas. Ex pecude tandē
 in hominem versus, in his quæ dei sunt assuescere inci-
 pies, assuefactus pscuerabis, pscuerans vinctes, victor
 coronaberis. Talē se Paulus apostolus exhibuerat cū di-
 ceret: Bonum certamen certavi, cursum consummaui,
 fidem seruauui, de reliquo reposita est mihi corona iusta-
 tiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, non so-
 lum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentū
 eius. O felicem illius perseuerantiam, cui in fine cum
 Paulo sic gloriari licebit, & cū eodem sic sperare. Huic
 perseuerantiæ virtuti contrarium vitium est animi in-
 constantia volubilitasque mentis: quæ quam fugienda
 sit, docere ope diuina fretus nunc entar.

2. Tim. 4.

De leuitate ad vitia relabentium.

Cap. XXVII.

Perniciosa quidem res est, de proposito vitæ ho-
 nestioris decidere, & ad voluptariam rursus cō-
 uerti, de bono malum fieri, de iusto iniustum, de
 innocente peccatorem, & felicitatis futuræ spem in me-
 tum commutare pœnarum. Ad cum igitur qui talis est
 nunc nostra conuertatur oratio. Diabolo & pompis e-
 ius renunciaueras, ad ecclesiā cōfugeras, castitatem, hu-
 militatem, paupertatem, pffessus fueras, vt te dei seruu
 exhiberes, cur iteꝝ cōtempta desideras, relicta repetis,
 ad seculū vñ fugeras reuerreris, & mortiferis eius de

licij frui concupiscis vt satanae seruias? Iam securus vi-
 taē finem praestolabare, iam mortis metu liber eras, iam
 nulla te mundi terrebant aduersa, cur te rursus subij-
 cis praesentis vitae miseris? vt quoties te conscientia
 tua reprehenderit, toties contremiscas, & ad omnem
 febriculae vel alterius cuiuscunq; morbi accessum for-
 mides, ad omnes imminens periculi minas animum
 demittas ac paures, non tam mortis metu quam tor-
 mentorum. Plantauerat te dominus vineam electam,
 semen verum, quomodo conuersus es in prauum, vi-
 neaq; factus aliena, non domino fructificans, sed demo-
 nis: **Thre.3** Ciuitas eras plena populo spiritualium bonorum
 quomodo mutatus es in solitudinem? Anima tua geni-
 um erat domina, sensibus imperans, & omnes eorum
 affectus subdens rationi, quomodo facta est quasi vi-
 dua non habens virum, cuius consilio sapientiaq; rega-
 tur princeps fuerat prouinciarum, quia inter proba-
 tos quoq; praestantes eminebat, nunc autem facta est
 sub tributo, soluitq; vestigal principi tenebrae: non
 iam quomodo oportet, sed quomodo ille suaserit vi-
 uens. Lucerna eras lucens omnibus qui in domo sunt,
 extincto lumine, multorum de te obloquentium mor-
 sibus pates. Caeli deniq; stella videbaris, & in terra ce-
 cidisti, vt fulgorem qui in te fuit, in tenebras conuerte-
 res, & de te quoque dici posset: Quomodo cecidisti de
 caelo Lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in ter-
 ram, caelestibus terrena, aeternis caduca praefendo.
 Spiritu enim coeperas, & carne consummaris. Supra
 firmam petram aedificabas, vt peracto virtutum aedi-
 cio, ad caeleste regnum conscenderes, beatitudinisque
 sempiternae bona possideres: & nunc repente mutato
 proposito aedificata destruis & dissipas, & de solida pe-
 tra ad fluidam mollemque harenam transgredieris, in
 qua non potes consistere, nedum aedificare, in qua quic-
 quid extruere niteris, corruit: & cum nihil omnino in-
 ter mundanas voluptates firmitatis, nihil stabilitatis
 existat, illae quoque te destituent, teque sublato omni
 sustentaculo protinus in profundum ruere permittent,

Ut qui nunc mundi affluis luxurijs, mox calamitatibus
 afficiaris æternis, dicente domino per prophetam. Si
 auerterit se iustus a iustitia, & fecerit iniquitatē secun-
 dum omnes abominaciones, quas operari solet impius Ezechi. 18,
 nunquid uiuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non
 erunt in memoria. In præuaricatione qua præuaricat⁹
 est, & in peccato suo quo peccauit, in ipsis morietur.
 Hac sane de causa & Petrus apostolus de eiusmodi homi-
 nibus loquens: Melius inquit, erat illis non cognosce- 2. Petri. 26
 re viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum cō-
 uerti. Cum igitur in tanto te periculo constitutū per-
 spicue intelligas, dum licet, dum vita suppetit, dum pe-
 nitenti tempus superest, errorem tuum corrigere festi-
 na, & eo vnde recessisti, te quamprimum refer, opusq;
 illud quod stulte admodum demolitus es, instaurare
 stude, neque te vitra in aperta mittas pericula, cum ad-
 tutum regressus fueris. Nō est aptus regno dei, qui ara-
 trum tenens post tergum respicit. Ut quotidie profi-
 cias conare, vt semper boni aliquid agas enitere, & de-
 ficere desines. Aliorum exemplis discite cautius incede-
 re. Sauli regi fauit deus, quamdiu ille legi eius obediens 1. Reg. 15.
 vixit. Post biennium regni sui innocenter exactum
 a mandatis diuinis desciuit, & deo vlciscente transla-
 tum est de domo familiaq; eius regnum, ipse hostium
 vt oppressus, perijt. Ioaz & ipsum Hierosolymę regem,
 donec ioiada sacerdos vixit, pie sancteq; regnasse con-
 stat: postea vero insolenter elatus, adorari se iussit, de-
 um reliquit, idola simul cum suis coluit. Quamobrem
 illi ab inimicis victi pœnas dedere, ipsum vero dum in-
 lecto dissentus recumberet, serui inuadentes trucidarunt. Quid Iuda Scariotho felicius, cum ad apostola-
 tum fuit electus, cum potestatem accepit morbos curan-
 di, mortuos suscitandi, dæmonis imperandi? Quid eo-
 dem illo deinde miserius, cum ex fidei cœperit esse in-
 fidelis, ex domestico fugitiuus, ex apostoso proditor?
 Auaritia superat⁹ dominum suum vendidit, & qui dæ-
 monia pellebat, daemone subicitur. Eo enim cor eius
 ingresso tam grāde scelus commisit, ventamq; deipera
 Judas.

uit, & laqueo sibi mortem consciuit. Patet igitur quid de illo mistellione sperandum sit, qui dum diu egregie magnificeque sese gesserit, ad flagitia deinde conuersus, ab ijs non discedat, cum præsertim præter iã dicta exempla etiam scriptum sit. Qui transgreditur a iustitia ad peccatum deus parauit eum ad romphæam, hoc est, vindictã, romphæa enim teli genus fuit apud Thracas, vt scriptores tradunt, & si iam ad supplicia destinatus sit, qui sic transgressus est, quomodo euadet? Quoties ergo ab ipso sanctioris vitæ curriculo ad impudica inhonestaque diuertimur, valde quidem verendum est, ne forte iam iudicati simus, præsertim si penitentiam agere & ad priora redire negligimus. Primum ergo totis viribus enitendum erit, vt cum iugum domini subierimus, in proposito perstemus, deinde si quando delirare contigerit, cito rursus directo vomere ceptam arationem prosequi studeamus, ne forte si morã fecerimus, Herodi similes simus: qui viso Iesu, ingenti affectus est lætitia, plurimiq; ipsum fecit: mox autem mutata in contrarium voluntate, contempsit atq; illu fit: vel ne pares inueniamur Iconijs illis, qui Paulum & Barnabam primitus pro dijs habuerunt: deinde lapidum ictibus impellentes, ciuitate veluti inimicos eiecerunt: ne etiam simus arundo vento agitata, & de nobis dici queat. Viæ eorum tenebræ & lubricum. Non est mutatio ista dexteræ excelsi, sed morphosis diaboli. Non ergo simus populus ille, qui (vt Ieremias ait) dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & domino non placuit, sed simus illi, de quibus in psalmo dicitur. Laudate serui domini dominum, qui statis in domo domini, in atrijs domus dei nostri. Stare enim iustorum est, mouere autem pedes, & huc atque illuc titubantibus vestigijs vacillare, proprium peccatorum est. Non simus igitur sicut lunaticus ille de euangelio, nunc cadens in ignem, nunc in aquam, sed simus templi sancti columna Iachin, quæ interpretatur firmitas. Qui enim sic stabilitus fuerit, poterit dicere cum constantissimo viro Iob. Donec de-

Eccle. 26.

Actu. 14.

psal. 34.

Ierc. 14.

psal. 134.

Matth. 17.

3. Reg. 7.

ficiam, non recedam ab innocentia mea. Præterea meminimus præceptum esse. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Infestet licet antiquus hostis, insidietur, tendat laqueos, venena melle oblita propinet, & omnibus nitatur fallacijs, nos tamen a lege præceptisque domini nostri nusquam recedamus, nos nihil seruituri, quam semel deo obtulimus, præferendum existimemus. Quia seruitus ista omni terrena libertate iucundior, vtilior, gloriosior est. Hanc ne deseramus, occurrant semper menti nostræ saluatoris monita, dicentis. Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua, & qui in agro, non reuertantur tollere tunicam suam. Iudæam Hebraicorum nominum interpretes confessionem sonare dicunt. Qui ergo Christum confitetur, ad virtutum celsitudinem ascendere curet, eundem imitando, qui in se credentibus, vt sua sequantur vestigia, iubet. Et qui in tecto sunt, hoc est, qui ad summa iam peruenerunt, non descendant, ne conuersationis pristinae sordibus inquinentur. Et qui in agro vitæ actiuæ operam patri familias locauerunt, non reuertantur tollere tunicam suam, ne rursus inutilem otio sitatem, quam recusarunt, induant, & labore intermisso, promissæ mercedis denarium amittant. Horum autem hæc summa est, vt cum relictis vitijs virtute proficere cœperimus diuinis obtemperando mandatis, rursus ad vitia non relabamur, ne prouerbio detur locus,

Canis reuersus ad vomitum,
& sus lota in volutabro
luti. .

Iob. 27.
Eccl. 10

Matth. 24

2. Petr. 26

Libri II. finis.